DE
DEMINUTIVIS PLAUTINIS TERENTIANISQUE.

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO UNIVERSITATIS BASILIENSIS PHILOSOPHORUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUSTAVUS RYHINER
BASILIENSIS.

BASILEAE 1894.
TYPIS W. STRASSERI.

JACOBO WACKERNAGEL

S.

Inter omnes homines doctos de indagandis et perscrutandis Plauti fabulis bene meritos Fridericus Ritschelius locum longe primum tenet, qui dictum illud Terentianum (Heaut. 675): Nil tam difficilest quin quaerendo investigari possiet, quod maxime ei placebat, in perscrutandis litteris antiquis regulam sibi proposuit. Qui cum ipse in studia Plautina cum cura diligentiaque incumberet, aliis exemplum praebuit et aequalibus et discipulis, quo factum est, ut ex eo tempore, quo ille interiores et reconditas Plautini sermonis leges scrutari coepit, permulti homines docti summam comicis tractandis operam darent. Quae studia praeter Latinam aliis linguis magnam attulerunt utilitatem. Ita G. Schmilinsky „de proprietate sermonis Plautini usu linguarum Romanicarum illustrato“ Halis Saxonum 1866 scripsit. Alii alia tractaverunt. Atque ego quidem instituam de vocibus deminutivis agere, quamquam haud ignoro multa et bona his de rebus et dicta et scripta esse. Ita Ludovici Schwabei de deminutivis Graecis et Latinis liber (Gissae 1859) in duo capita distributus exstat, quorum prius de usu deminutivorum agit significationem deminutionis (*μείωσιν, ὑποκορισμόν, καταφρόνησιν*) et partes tractans orationis, quae deminutionem recipiant, alterum de formatione deminutivorum. Gustavus Muellerus deinde „de linguae Latinae deminutivis“ Lipsiae 1865 disseruit. Hic deminutiva in multa genera distribuit, quorum primum — ut quaedam enumerem — familiares et domesticos, sextum personarum nomina propria, octavum corporis partes, decimum sextum officia caritatis vel amoris continet. Quid de vi

primitiva deminutivorum uterque cogitet, infra dicendum erit. Accedit quod edidit de deminutivis Latinis Kesslerus programma Hildburghusae 1869. Qui primo loco de substantivis, deinde de adiectivis, adverbiis, verbis deminutivis verba facit. Woelfflinus porro in Philologi vol. XXXIV de sermone vulgari scribens et alia et haec de deminutivis dixit. Deminutionis vi saepe attenuata vocem quandam parvitatem designantem appositam, vel deminutionem secundam formatam esse. Oratione blanda accidisse, ut sexus muliebris toto gradu virilem praecesserit, ita exempli gratia puer-puella, puerulus-puellula.[1]) Deminutivorum alia a Plauti, alia a Ciceronis aetate exstare, alia in linguis Romanicis demum inveniri. Vitam cottidianam praebere plurima quo indicio dilucide ostendi, e sermone plebeio numerum permagnum manasse. Deinde Paucker de deminutivis egit in „Materialien zur lateinischen Woerterbildungsgeschichte“, cuius opusculi partem priorem in K. Z. XXIII, p. 138—188 edidit, alteram in „Zeitschrift für die oesterreichischen Gymnasien“ XXVII (1876) p. 595—614. Hic studiosissime deminutiva collegit et indices composuit, scriptores, qui primi unumquodque vocabulum praebent, adnotans itidemque deminutiva quae primitivis carent. Multa quoque de formatione eorum docet. Eiusdem opusculum: „Lateinische Deminutive auf einfaches — ulus — ula — ulum“ inscriptum Mitau 1876 non vidi. Postremo loco A. Weinholdium nomino, qui in Woelffl. Arch. vol. IV. p. 169—188 de genere deminutivorum mutato disseruit et

[1]) Cf. Lattes qui in Woelffl. Arch. VIII, p. 495 distinctius hac de re agit dicens.... genus femininum toto gradu masculinum praecedere deminutione, et haec non solum e loco Hor. Epist. I, 7, 7 (pater-matercula) multis aliis similibus colligi, sed etiam e locutione puer-puella plane et omnino usurpata (quin e loco Varroniano, praebenti, si Lachmanno credendum est, .. sex pueri et puellulae pariter item sex), deinde eo quoque, quod femininum tantummodo deminutionem duplicem formaverit puellula; *puellulus autem formam non exstare. Raro tamen accidit, ut haec regula neglegatur, ita in Apul. Metam. libr. X, cap. 29, ubi legitur: Nam puelli puellaeque virenti florentes aetatula ... decoros ambitus inerrabant, quo loco puelli puellulaeque locutionem exspectamus.

haec fere dicit: Tria sunt quae ni fiunt deminutivam esse vocem agnoscere non licet: necesse est scilicet, primum ut primitiva stirps nominalis statui vel erui possit, deinde ut significatio vocabuli deminutionem quandam primitivi praebeat, denique ut suffixa — *lo* — *co* — vel eorum composita extent.

Postquam horum hominum doctorum non totam adumbravi commentationem, sed eorum solum, quae quisque novi attulisset, mentionem feci, restat ut de vi primitiva deminutivorum, qualem putent esse Schwabius et Muellerus, paucis agam. Atque ille quidem p. 2. dicit: „Haec vis deminutivorum, quae nomine Latino clare et distincte exprimitur (ut scilicet deminutio vel parvus ambitus significetur), principalis fuit unde ceterae eorum significationes deflexae sunt"; hic vero p. 13: „Atque illud quidem ipse antea, quum inveterato omnium errore premerer, abiicere non sustinui, nunc, re ipsa ductus meumque iudicium secutus, quam proximam attuli sententiam probare me confiteor .... Nunc naturam rei proponere mihi videor usu cognitam, non speciem coniectura nixam, quum deminutiva ad parvitatem significandam nata esse omnino nego. Nam qui accurate consideraverit vim deminutivorum, proprie ac primitus non solum vocis notionem iis perhiberi animadvertet, sed etiam id quod in animo loquentis obiectum impresserit: igitur, ut ita dicam, impressiones quasdam notare proprium est formae deminutivae". Quamquam mihi in animo non est sententiam hac de re ferre, qua omnis controversia dirimatur, tamen hoc mihi dicendum videtur. Muellerus p. 15. contendit, si deminutivis vocabulis appellatas esse constet tantum eas res, quarum natura mollior apparere possit, mirum non esse, in iis scriptis, in quibus de rebus eiusmodi omnino non agatur, ne deminutiva quidem inveniri. Quod recte se habere nego, nam, ut unum tantummodo afferam exemplum, et in Lucretii de rerum natura poemate non frustra voces deminutivas quaeras. Ita carmine II, v. 428, angellus, V 229 crepitacillum, VI, 651 parvulus, ibid. 947 unguiculus exstat, ut taceam de deminutivis illis, quae Lucretius fini libri quarti inseruit, ut stultitias

amatorias irrideat, qualia sunt labellum 1072, osculum pluriens, misellus 1088, parvulus 1154, loquaculus 1157, simulus 1161, puellus 1244, muliercula 1271.

Iam postquam scripta enumeravi ad explicandum deminutivorum usum et notionem spectantia, restat ut ostendam, quamnam mihi quaestionem tractandam proposuerim. Atque de formatione deminutivorum non agam, verum primum de Plauti et Terenti sermone, deinde segregatis et iis deminutivis, quae significationem deminutionis non iam habent vel quae a notione vocabuli primitivi longius aberraverunt, et iis quae parvitatem quidem habent, sed vi hypocoristica carent, de deminutivorum generibus verba faciam, quae illius temporis sermoni cottidiano propria sunt. Accedet deinde enumeratio deminutivorum personarum et primas et secundas partes fabularum agentium, earumque numerum deminutivorum quae praebent.

I.

Plautum omnimodo concupiscere ut spectatores non solum argumentis fabularum, sed etiam sermone uberrimo exspectatione erigantur, ideoque abundare metaphoris, verbis similiter incipientibus, similiter exeuntibus, annominationibus, proverbiis, allegoriis, verbis externis, barbaris, quis est quin animadverterit? Si omnia huius rei argumenta afferem, libro opus esset. Liceat tamen exemplorum quorundam selectorum e Pseudolo haustorum mentionem facere ad illustrandam sermonis Plautini proprietatem. Ita ut proverbia aliqua enumerem, inter alia haec exstant: [1]) homo in medio luto est v. 984 (cf. Pers. 535, Ter. Phorm. 780); dulce amarumque una nunc misces mihi v. 63; dulcia atque amara apud te sum

[1]) vide sis dissertationes de proverbiis agentes conscriptas ab

J. Schneider: De proverbiis Plautinis Terentianisque (Berol. 1878);

W. de Wyss: Die Sprichwoerter bei den roemischen Komikern (Turic. 1889);

A. Otto: Die Sprichwoerter und sprichwoertlichen Redensarten der Roemer (Lips. 1890);

Conferas quoque fasciculum quartum Plauti selectarum comoediarum a Lorenzio editarum (Berol. 1876) p. 36 sqq.

elocutus omnia, 694 (cf. Plat. Phileb. p. 46 c. τὸ δὴ λεγόμενον πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον. Sapph. frg. XL Bergk[4] γλυκύπικρος Ἔρως, Catull: dea — quae dulcem curis miscet amaritiem (c. 68, 18), Cic. ad Att. V, 21, 4 γλυκύπικρον illud);

pumiceos oculos habeo, non queo lacrumam exorare ut expuant unam modo v. 75 (cf. Pers. 41, Aul. 397).

imbrem in cribrum ingerere v. 102, quod proverbium in Xenoph. Oecon. VII, 40 exstat: ἐς τετρυπημένον πίθον ἀντλεῖν vel fragm. com. graec. II, pag. 235 v. 5: εἰς τὸν πίθον φέρουσι τὸν τετρημένον, quod praebet Plautus in Pseud. 369: in pertussum ingerimus dicta dolium (cf. Lucr. III, 1007 und 99. Nec tamen explemur vitai fructibus umquam. Hoc, ut opinor, id est, aevo florente puellas Quod memorant laticem pertusum ingerere in vas, Quod tamen expleri nulla ratione potestur.)

lupos apud oves linquere v. 140 (cf. Ter. Eun. 832.)

inanis quasi cassa nux v. 371 (cf. Mil. glor. 316).

bonus animus in mala re dimidiumst mali v. 452 (cf. Rud. 402, Capt. 202).

aurichalco contra non carum fuit meum mendacium v. 688 cf. Aesch. Cho. 372 ταῦτα μὲν . . . κρείσσονα χρυσοῦ . . . φωνεῖς.

Metaphorarum haec specimina affero.

sub Veneris regno vapulabo, non sub Jovis v. 15.

caudicalis provincia v. 158.

argentata querimonia v. 312.

exossabo illum quasi muraenam coquos v. 382.

ex hoc sepulcro vetere (loquitur Pseudolus de Simone sene) effodiam hodie v. 412.

Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius dabo aliam pugnam claram et commemorabilem v. 424 sq.

stilis ulmeis conscribere v. 545.

suo viatico redduxit me usque ex errore in viam v. 668.

nunc liquet, nunc defaecatumst cor mihi, nunc perviamst Omnis ordine, sub signis ducam legiones meas Avi sinistra, auspicio liquido atque ex mea sententia. Confidentiast, inimicos meos me posse perdere v. 760 sqq.

verberea statua v. 911.
carcerem expugnare v. 1172.
centuriata comitia mihi capitis habuit v. 1232.

Annominationes nomino hasce.

Phoenicium, poeniceo corio v. 229.
quasi mi non sescenta tanta soli soleant credier v. 632.
in re advorsa vorsari v. 745.

Accedunt verborum lusus et argutiae, quorum nonnulla exempla elegantissima Pseudolus offert ut:

tergum terginum v. 154.
Ballionem exballistare v. 585 *a*.
dolus Pseudolus vv. 1205, 1244.

Vel Graecis nominibus ludit ut:

Quis istic est? — Charinus. — Euge, iam χάριν τούτῳ ποιῶ (cf. Bacch. v. 362).

Non Charinus [1]) mihi hic quidem sed Copiast v. 736.

Et significationibus variis unius vocis ludit Plautus saepe, en habes exempla animus v. 32—36, harpax 653 sqq. salus 1003 sqq.

Verbis externis Plautum persaepe usum fuisse, e Pseudolo — ut unam tantummodo fabulam afferam — facile intellegitur. Ad quam rem demonstrandam conferas quaeso symbolus (vel-um) vv. 55, 57 aliis, orgia v. 67 *b* (si quidem recte legit Studemundus [2]) quod vocabulum priore loco nullo exstat, et apud Catullum (carm. LXIV, 259 sq.) deinde occurrit. patrisso v. 442 (similis formationis verba sunt badisso Asin. 706, malacisso Bacch. 73, moechisso Cas. 976, cyathisso Men. 303, 305 Most. 624) [3]) basilicus v. 458, sucophantia v. 527,

[1]) unde elucet, non Charinus, sed Carinus hanc vocem dictam esse, ita ut a carus, caritas stirpe derivatam credas, quia aliter verborum lusis auditores effugit.

Simile exemplum Bacchides praebent, quarum versu 362 legitur: Credo hercle adveniens nomen mutabit mihi Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.

[2]) cf. Studemundum in Herm vol I (1866) p. 297.

[3]) Mostellariae versus Lorenzii editionem (Berol. 1876) secutus numeravi. de patrisso pro patrizo agit Prisc. Inst. I, 6, 31 (Gramm. Lat. ed. Keil II). Pollux pro patrizare πατριάζειν dicit Onom. III, 10.

calamus v. 544, graphicus v. 700, chlamys, machaera, petasus v. 735, thermipolium v. 742, tarpessita v. 757, drachumisso v. 766, harpagare, cyathus, cantharus v. 957, morologus v. 1264, lemniscus v. 1265, prothyme v. 1268 *b*, multa alia. Haec omnia si ob orationis ornatum Plautus fabulis suis inseruit, immiscuit nonnulla etiam, quibus ingenium personarum, quas introducit, describeret. Neque vero proverbia respicienda sunt quae nullius momenti sunt in explicanda re. Nam ut J. Schneiderus (l. l. p. 45 sqq.) demonstrat, Terentius quidem „apte et artificiose sua cuique personae proverbia accommodavit, contra Plantus multo liberius in proverbiorum usu versatus est. Et externorum vocabulorum usum vix e prosopopoiae consilio derivare licet, cum omnes Plauti fabulae a Menandro, Diphilo, aliis comicis Graecis descendere videantur et facile fieri potuerit, ut poeta verbis scriptoris Graeci ipsius quam Latinis uti maluerit. Metaphorae longe plurimae a servo et lenone pronuntiantur, sed nihil meo iudicio hac re demonstratur nisi Plautum in describendis personis a se dilectissimis omnem curam atque operam, ingenium atque facetiam contulisse.

Sed restat unum, quod maximi momenti in describenda natura et indole certarum infimae plebis personarum est, sermo popularis et plebeius, quo Plautus compluribus locis uti solet. In Pseudolo fabula praeter servum Ballio leno et Simia sucophanta hunc sermonem usurpant. Exempla occurrunt haece:

exporgi meliust lumbos atque exsurgier Plautina longa fabula in scaenam prodit, in fine prologi.

lavis pro lavas v. 10 (cuius loci testimonium praebet Nonius p. 503, 37 et 466)

atque id futurum unde unde dicam nescio. Nisi quia futurumst: ita supercilium salit v. 106 sq.

quam libertam fore mihi credam et quam venalem hodie experiar v. 176.

quisquis es, conpendium ego te facere pultandi volo v. 605.

condus promus sum, procurator peni v. 608.

ego istuc aliis dare condidici, mi optrudere non potis palpum v. 945.

perii, nunc homo in medio lutost v. 984.

novi, bona scaevast mihi v. 1138.

quisquis es, adulescens, operam fac compendi quaerere v. 1141.

Accedunt maledicta quibus sermo cottidianus ac plebeius, quo Plautus gaudet, uberrimus est quibusque servi et lenonis praecipue personae abundant. Ut paucis, quod sescentis locis demonstrari possit, ostendam, haec inveniuntur. asinus v. 136, flagritriba v. 137, furcifer v. 194, maleficus v. 195, excetra v. 218, scelerum caput v. 445, verbero v. 1064, malus, scelestus periurus v. 1083. Conferas quaeso versus 360—366 qui sedecim huiusmodi voces continent, quibus Callidorus adulesceus una cum Pseudolo Ballionem allatrat. Nec in Pseudolo tantummodo, in omnibus fabulis multa maledicta invenies. Ita in Pers. v. 278 *b* ulmitriba v. 283 morticinus, v. 795 stimulorum tritor, crux. in Most; v. 343, ferritribax v. 55 carnuficium cribrum, vv. 1, 727 mastigia; in Aulul. v. 45 stimulorum seges v. 86 trivenefica; in Cas. stimulorum loculi et alia multa.

Multos alios huiusmodi locos afferre possum, ut Aul. v. 280—286; 302—306; sed satis de hoc. Postremo paucis tantummodo verbis de alio argumento agendum esse censeo, quo appareat, sermonem cottidianum in Plauti fabulis adhibitum esse. Exstant multa vocabula praepositionibus composita, quae nullam cam aliam significationem quam simplicis habent, quorumque nonnulla pro simplici semper ponuntur. Locos ad demonstrandam hauc rem aptos Lorenzius (l. c. p. 37—39) contulit: Voces affert hasce:

cum *con* praepositione compositas,

apud Plautum solum occurrentes: concaleo Pers. 88; concastigo Trin. 26 Bacch. 497, 1175 (Fronto); concenturio Pseud. 572 Trin. 1002; concomitor Mil. 1103; concriminor Mil. 242; concredo Aul. 585, Cas. 479; concuro Bacch. 131; concesso Asin. 290, Poen. 219 (Fronto); condignus, condigne

Mil. 505, Men. 906; condormisco Most. 471, Mil. 826, Rud. 571 sqq; Curc. 360; conducibilis Trin. 25, passim; confuturum Mil. 941; confulgeo Amph, 1067, 1096; congerro Most. 931, 1049, Pers. 89, Truc. 101; conglisco Trin. 678; congraecor Bacch. 743; collabasco Stich. 522; conruspor frg. Paul. Fest. p. 62, 2; apud Winterum[1]) p. 65 frg. XII; conscreor Pers. 308; consomnio Most. 743; consuadeo Trin. 527, 670; Asin. 261; Merc. 143. (Cic. pro Quinct. V, 18); contabefacio Pseud. 21; contechinor Pseud. 1096; contollo Bacch. 535; Aulul. 814; contonat Amph. 1094; contrunco Bacch. 975; Stich. 554 (Apuleius); convador Curc. 162.

Apud Plautum, Terentium reliquos comicos inveniuntur:

concipulo (vel concipilo)[2]) Truc. 621; Naev. ap. Ribb.: Com. frg. inc. fab. frg. XXV; condecet Amph. 722, passim; commiseresco Rud. 1090; conquinisco Pseud. 864; consilesco Mil. 583; constabilio Capt. 453.

Apud eosdem aliosque scriptores qui sermonis cotidiani vestigia praebent (Auct. bell. Hispan., Varro, Scriptt. rer. rust. Cic. epp. ad Attic., ad Paet., aliae, Horat. Sat.)

condoceo Poen. 580 sq.; conspuo Curc. 503; consudo Pseud. 666; commercor Capt. 100; commereor Aubul. 738; compedio Capt. 944; complacet Rud. 727; confabulor Cist. IV, 2, 78 (481);[3]) commemini Pseud. 696; collibet Amph. 343. quae verba omnia aliis aliorum scriptorum locis confirmantur.

Accedunt verba cum *ad* praepositione composita, quorum vis a simplicibus vix discrepat.

approbe Trin. 957; apprime Trin. 373, passim; adaeque Most. 30, passim; adambulo Bacch. 768; adformido Bacch. 1078: adbibo Mil. 883; adcredo Asin. 627, 854; addecet Pseud.

---

[1]) Plauti fabularum deperditarum fragmenta collegit Franciscus Winter (Bonn. 1885).

[2]) concipulo: quam vocem cognitam habemus e Plauti Truc. 621 et e Naevii fragmento, quod affert Paul. Fest 62, 6. Ad hanc stirpem referenda videtur discipulus vox; Stowasseri qui vocabulum a disceptare derivat sententiam (Arch. Woelffl. V. p. 289) probo.

[3]) Locos Cistellariae Weisii editionem (M. Accii Plauti comoediae (Quedlinburg. et Lips. 1847) secutus attuli.

569, passim; adesurio Trin. 169; adlaudo Merc. 85; admoderor Mil. 1073; admolior Asin. 570, Rud. 599; adtrepido Poen. 544.

Tertia quae vim perdiderit praepositio *de* (*κατά*) est, quod exemplis, quae sequuntur, illustrabitur;

deascio Mil. 884; deruncino Mil. 1142; deartuo Capt. 640, 672; delacero Capt. 672; deludifico Rud. 147; derogito Asin. 326 (quod praebent libri); deiuno Trin. 344; delucto Trin. 839, Pers. 4; deamo Epid. 219, passim; demorior Mil. 970, 1040; deungo Pseud. 222.

Una cum aliis scriptoribus Plautus haec affert:

derepente Most. 473; desubito Most. 396, passim; deblatero Aulul. 268; demiror Men. 706, saepe; depereo Epid. 65, saepe; defrudo Pseud. 93, saepe; delasso Asin. 872; demuto Pseud. 555, 566, passim; denarro Truc. 308; deosculor Cas. 136, passim; depropero Cas. 745, Poen. 321.

Haec omnia si animo perlustramus, Plautum multis modis personas describere observabimus, melius vero videremus, si ex omnibus fabulis argumenta ad hanc rem apta apposuissem. Ad haec ingens accedit copia deminutivorum, quibus tractandis iam operam dabimus.

Plautum deminutivis multo uberiorem esse quam Terentium nemo ignorat aut miratur. Nam illius fabulae viginti viginti milia versuum et nongentos praebent, in iis deminutiva fere mille (aut si ea demis, quae et vim iam perdiderunt eius temporibus et de quibus dubitare potest, plus sexcentis) inveniuntur, huius autem sex comoediae versuum sex milia et centum, in quibus deminutiva ducenta (vel centum et viginti) exstant. Hac igitur ratione demonstratur, in comoediis Terentianis non tertiam (ut exspectamus) partem, sed quintam tantummodo eorum, quae Plautus offert, deminutivorum, occurrere, atque id eo fieri, quod Terentius dictione elegantiore Plautus autem sermone cottidiano usus sit.

II.

Christianus Carolus Reisig[1]) de deminutivis verba faciens et alia et haec docet: E lingua deminutivis abundante naturam indolemque quandam nationis cuiusdam elucere, inesse aliquid comis atque iocosi. Nullam linguam Graeca uberiorem esse, tamen etiam Romanos plura deminutiva usurpavisse quam quae in lexicis ferrentur. Dubium non esse, quin multa eiusmodi vocabula sermone cottidiano usitata fuerint, quae numquam litteris mandata fuerint. Qua de causa et nobis per analogiam deminutiva formare licitum esse. Tamen et Romanos sat magnum eorum numerum habuisse, e fabulis Plautinis Terentianisque intellegitur, quorum usus comicis proprius est. Quod ita se habere, enumeratio demonstrabit; sed antequam ad deminutiva proprie dicta accedamus, ea enumeranda sunt, quae quamquam deminutiva sunt, non iam deminutionis significationem habent vel quae notionem primitivam perdiderunt.

a.

ambulo, gehen, wandeln quod vocabulum persaepe occurrit. Ita Asin. 108 Ego eo ad forum, nisi quid vis. — Ei, bene ambula. Pseud. 920: Ambula ergo cito. — Immo otiose volo. Rud. 860. Age, ambula in ius. Exstant haec huius vocis composita: Bacch. 768: adambulabo ad ostium, ut quando exeat Extemplo advenienti ei tabellas dem in manum Ter. Heaut. 587: Abi *de*ambulatum. Epid. 165: Ibo atque adulescenti dicam, nostro erili filio, Ne hinc foras *ex*ambulet neve obviam veniat seni. Asin. 682: *In*ambulandumst: nunc mihi vicissim supplicabunt. Men. 276: Vae tergo meo: Prius iam convivae *ob*ambulant ostium. Quam ego opsonatu redeo. Most. 796. Qualibet *per*ambula aedis oppido tamquam tuas.

---

[1]) C. C. Reisig: Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft mit Anmerkungen von Haase neu bearbeitet von H. Hagen (Berol. 1881) uol. I, pag. 219.

cf. Corsseni kritische Beitraege p. 349, qui deminutivi formationem habere hanc vocem negat.

Ter. Ad. 766: *Prode*ambulare huc lubitumst. Capt. 900: Bene ambula et *red*ambula. Et funambulus exstat in Terenti Hec. prol. v. 4. Rarissime ambio simplex ponitur in Plauti et Terenti fabulis ita Amph. v. v. 69, 71, 74, 78 prologi, qui retractationis apertissima vestigia prae se fert; deinde Mil. 69 et Ter. Andr. 373 quibus praeterea locis non eundi sed potius orandi significationem habet,

ancilla, Magd., Merc. 414 Recte: ego emero matri tuae Ancillam viraginem aliquam passim; ab ancula derivatum esse vocabulum videtur. Bene Paulus Festi hoc dicit „sic appellantur (ancillae), quod antiqui anculare dicebant pro ministrare, ex quo dii quoque ac deae feruntur coli, quibus nomina sunt Anculi et Anculae.“ Inde et ex hoc quod ancula vox ancillae vim nusquam habet, intellegitur, Plauti temporibus anculas pro ancillis non iam dictas fuisse. Huius loci non est, in coniecturam Schoellii ad Rud. v. 666 inquirere, qui anculas pro divis illis adiutricibus dicere vult; potuit fieri ut in sacris et omnibus, quae ad res divinas pertinebant, inter alias et haec vox more recepta esset.

avonculus, Mutterbruder μήτρως, traxit appellationem ab eo, — ut Paul. Fest. putat — quod aeque tertius a me, ut avus, est, sed non eiusdem iuris: ideoque vocabuli facta diminutio est. Sive avunculus appellatur, quod avi locum obtineat et proximitate tueatur sororis filiam. Certe ab avo, mütterlicher Grossvater derivatur. Celtae eum „*eviter*,“ Germani „Oheim,“ Lithuanii „*avynas*“, Slavi „*uji*“ appellant. Omnes hae voces ab *avo-s deductae sunt, quod verbum prope eandem habet significationem quam fautor Goenner (cf. Delbrueck. Indogermanische Verwandtschaftsnamen pr. 501.) Delbrueckius veri dissimile non esse putat, **avo-s* nomine et fratrem et patrem matris significatum fuisse. Postea cum accuratius eos nominari desideraretur, derivationes illas formatas esse, ceterum negari non posse omnino, iam antiquissimis temporibus parvulum **avo-s* dictum esse. Et p. 586 sqq. ubi de honoribus agit quibus apud Indos fruoti sunt *pitrvya* („patruus“) et *matula* („avunculus“), Hopkinsii affert hanc sen-

tentiam, avunculi personam patrui paulatim locum occupasse et refutat alteram eiusdem, *matula* vocem fortasse pro matris et patris fratre recentiore tempore dictum esse (ita ut francogallicum *oncle*), hoc usus argumento, neminem intelligere posse, cur *pitrvya* — vox evanuerit, nisi frater patris e loco superiore motus esset, quem antea tenuerit. Dubium autem non esse, quin temporibus recentioribus demum avunculus magno honore haberi coeperit.

batiola, vel *batioc(h)a* Humpen Col. fr. I Batiolam auream octo pondo habebam: accipere noluit. A βατιάκη, quae vox est persica (cf. Athen. XI. 484 e, 784 a) sunt qui derivent. Exstat et batillum (vatillum) Schaufel, Pfanne. Sed eodem iure meo quidem iudicio aliquis hanc vocem eiusdem stirpis esse contendat atque vatius „einwärts gebogen."

bellaria, τραγήματα, Dessert, quod vocabulum a bellus derivatum videtur Truc. 480: fer verbenam huc intus et bellaria.

capillus Haupthaar. Epid. 623, Most. 244 passim cum compositis *albi*capillus, Mil. 631, *vorsi*capillus Pers. 230. Proprie adiectivi vim habet vox, intellegendum est crinis, deinde substantive posita est. Alia huiusmodi vocabula sunt suilla (scil. caro). Men. 210. Inc. fab. frg. XXIX et scrutillus (scil. venter) Inc. fab. frg. XXIX.

cavilla, cavillatio, cavillator, cavillor, neckender Scherz saepe, ad quamnam stirpem referatur nescio, alii ad cavus retulerunt, alii ut C. O. Muellerus ad calvor quod idem est atque calumnior, alii ad cavere. Praeter cavilla et cavillum (Apul. Met. I, 7) et cavillus (ibid. II, 19) usurpatur.

clitellae, clitellarius Saumsattel Most. 765—68, descendit a *clitula, *clino (κλίνω) quid sit primitivum nescitur.

concipulo, mit Begierde ergreifen, Truc. 621: Etiam, scelus viri, minitare, quem ego iam iam iam concipulabo? ita ut *muscipula* a capio formatur.

congratulor Men. 129 et gratulor Capt. 502 beglueckwuenschen. Dubium est num sit deminutivum, nam derivari potest aut a grat-ari aut a grati-tulo (a grates vocabulo plu-

rali) ad exemplum vocis opitulare ti syllaba brevis expulsa est, ut φι in ἀμφιφορεύς, te in tetuli aliae.

conspicillum Warte, Cist. I, 1, 92 et Paras. med. frg. I, e Plauto Nonius p. 84 sq. affert. Fortasse cum codicibus conspicilium legendum est. Primitivum Plautus non praebet tamen specula eiusdem stirpis est.

crepusculum Abenddämmerung, Cas. 40 descendit a *creper* (δνοφερός, κνέφας) quod vocabulum ad Sabinam attinet dialectum; ad exemplum cuius diluculum formatum est verbum, cum iam vis deminutivi evanuisset.

crotillis vel todillis Syr. fr. Cum extortis talis, cum crotillis (todillis) crusculis. Utrum maiore legatur iure vix diiudicari poterit (cf. Winter. l. c. p. 47 sq.) Crotillus vox nullo nisi hoc loco exstat, sed succrotillus, fein, zart apud Titinnium invenitur. Cf. Ribb. Comic. fragm. p. 157, X Feminina fabulare succrotilla vocula. Todillis vero vocabulum offert e Plauto Paul. Fest. p. 353 Todi genus avium parvarum. Plautus: Cum extortis e. q. s. et Festus p. 352. Todi sunt [aves parvae pede exil]i, quarum m. Plautus in Sy[ro: cum extor]tis talis e. q. s.

exstillo, heraustraeuffeln Pseud. 818 stilla a stiria descendit neglecta deminutionis notione.

hariolus, hariola, hariolor vel ariolus, Opferschauer, faseln, saepe praecipue in Rudente eccurrunt ita v. v. 326, 377, 1139. Non ab eadem stirpe qua ἱερεύς (ut vult Georgius in lexico) sed qua haruspex derivandae sunt voces.

iugulae, Guertel des Orion. Amph. 275.

iugulo, die Kehle abschneiden. Stich. 581.

iugulum Kehle. Merc. 613.

limbolarius, Borduerenmacher, Aul. 519 a limbus, *limbolus descendit.

medulla Mark, Stich. 340 et medullitus bis ins Mark. Truc. 439 cum medius vocabulo cohaerere credibile non est, quia i littera quae extat in medius, evanuit in medulla.

meticulosus, voller Furcht, Amph. 293, Most. 1087. Descendit a *meticulus. Eandem formationis rationem offerunt

febriculosus Catull 6, 4, formidulosus Amph. 1117, Ter. Eun. 756, somniculose Capt. 227, somniculosus Laber. Com. 86 (Ribb.). Omnes hae voces infirmitatem quandam significant. Fieri tamen potuit, ut analogia aliorum vocabulorum ut periculosus hanc formationem efficeret.

nullus i. q. ne unulus; ullus i. q. unulus.

musculus, Miesmuschel. Rud. 298.

osculor, osculum vel ausculor ab os voce derivatae sunt et significatione duplici osculum Maeulchen et Kuss praedita est. Ita Petron. 126[1]) in fine scribit: „crines ingenio suo flexi per totos se umeros effuderant, frons minima et quae radices capillorum retro flexerat, supercilia usque ad malarum scripturam currentia et rursus confinio luminum paene permixta, oculi clariores stellis extra lunam fulgentibus, nares paululum inflexae et osculum quale Praxiteles habere Dianam credidit" et c. 127, 27 „quid tu“, inquit illa „dones mihi eum (fratrem) sine quo non potes vivere, ex cuius osculo pendes, quem sic tu amas, quemadmodum ego te volo?“ Et Grimmius in lexici linguae Germanae vol VI, p. 1799 dicit: Maeulchen, quod vocabulum saepe dicitur de puellulis venustulis et hunc locum Goetheanum affert (I, 356):

Warum leckst du dein Maeulchen, indem du mir eilig
begegnest?
Wohl dein Zuengelchen sagt mir, wie gespraechig es sei.

Grimmius apponit, deminutiva saepe adhiberi solere in sermone familiari, lepido, praecipue in poemati saeculi XVIII plerumque usurpari de sexu muliebri. (Et Lessingius in epistola tricesima tertia quae de novissimis monumentis et litteris agit, duo exempla carminum Lithuaniorum praebet, quae Ruhig tradidit, quorum prius his verbis incipit:

Ich habe aufgesagt meinem Muetterlein, schon vor der Haelfte des Sommerleins.

alterum autem: Frueh morgens im Morgelein ging das Sonnlein auf; und unter dem Glasfensterlein sass das Muetter-

[1]) Petronii Satirae et liber Priapeorum tertium edidit Franciscus Buechelerus. Berol. 1882.

lein. In his carminibus Letticis popularibus, quae Deinos vocantur, omnia fere substantiva deminuuntur. Etiam in recentiore sermone Graeco deminutiva omnem vim perdiderunt: *παιδί παιδίον* puerum et ministrum vel senem significat, *ψάρι* (*ὀψάριον*) piscem, non pisciculum).

Plautus vero hac voce nonnisi notione Kuss usus est, ita in Epid. 571 sqq. Stich. 89 sqq. Germani poetae tamen Maeulchen et pro Kuss dicunt. Ita in Lessingii (l. c.) epistola tricesima secunda exstat carmen de Gratiis cuius in versu 24 legimus:

Jetzt bog ich schlau an ihrem Hals mich langsam über und stahl ihr schnell ein Maeulchen ab.

papilla, Brustwarze, a papula ut Paul Fest. p. 220 docet: Papillae capitula mammarum dictae, quod papularum sint similes. Deinde mammae notionem habet. Exempla habes haec: Asin. 224; Cas. 848; Bacch. 480.

postulo, postulatio verlangen. Pseud. 101. Cas. 556 saepe. Plerique vocis posco, postum deminutivum esse credunt, Osthoffius[1]) vero denominativum esse *pos-tulu-m vocis, quae Oscorum lingua pes-tlo-m dicitur, putat.

puella, Mädchen, saepe, a puera formata est vox, quam offert Titinius com. 50 (Ribb.)

scintilla, scintillo, Funke, funkeln, Trin. 678, Men. 829. Aliquid deminutivi inest vel inerat huic voci, quae eiusdem stirpis est atque *σπινθ-ήρ* tamem cum primitivo careat, iure hic attuli.

situla, Eimer, Stimmurne. Amph. 671. Cas. 359 num sit deminutivum, dubitatur.

stella, Stern, Men. 175, Poen. 434. A stirpe ster *ἀστήρ* formatum est deminutivum propter parvitatem. Tamen Plauti temporibus vis deminutiva voci non iam inerat.

stimulus, stimulor, stimulatrix, Stachel Asin. 418, Curc. 128 Cuius primitivum non exstat, sed ex verbis instig-are, *στιγ-μή* explicatur et confirmatur.

---

[1]) Osthoffius: Forschungen im Gebiet der indogermanischen nominalen Stammbildung, pars. I (Jen. 1875) p. 123.

stipulor, angeloben (lassen) a stipulus quod a stipes vocabulo derivatum esse videtur. Cur. 473; Pseud. 1069. Fortasse potius a stips, stipula derivare licet.

tippula, Wasserspinne. Sic Paul. Fest. p. 366: Bestiolae genus sex pedes habentis, sed tantae levitatis, ut super aquam currens non desidat. Plautus: neque tippulae levius pondus est, quam fides lenonia (Pers. 244). Afferri solet et in fragm. inc. fabul. XLVIII (l. l. p. 73) et in Varronis Menippearum reliquiis v. 50 (frag. VI secundum Buecheleri editionem). Nonius deinde p. 180, 12 M. dicit: Tippula, animal levissimum, quod aquas non nando, sed gradiendo transeat. Unde derivata sit vox nescitur, fortasse ex alia lingua translata est.

tranquillo, tranquillus, tranquillitas, ruhig machen, stillen. De quo verbo quod dicam nihil habeo, nisi quod cum trans et quies, ut volunt, compositum esse veri simile mihi non videtur esse. Capt. 106; Cas. 26; Merc. 878.

vinnulus, fortasse lieblich, suess. Asin. 223. Novissime Fr. Stolzius in „Festgruss aus Innsbruck an die XLII. Versammlung deutscher Philologen und Schulmaenner in Wien“ p. 105 hoc de vocabulo egit. Conicit, vinnulus vocem derivatam esse a *vĕn-sc-nolo (a vocabulo Indico vancha-, Wunsch‘) unde *vencnolo et *vengnolo; e vocalem praecedenten n+gutturalem in i mutatam esse itidemque ngn in nn, itaque bene explicari et originem et significationem formae.

volsella, kleine Zange, Curc. 577, primitivo *volsula caret. Usitatissimam fuisse hanc vocem e proverbio elucet: pugnare volsillis (sic!) non gladio Varro L. L. IX. 33.

Jam postquam perventum est ad ea deminutiva, de quibus dubitari non potest, duae horum vocabulorum rationes distinguendae sunt. Altera enim deminutiva a vocabulis suis primitivis ita discrepant, ut ipsae utrorumque notiones modo et ambitu differant (ut *arca,* Kasten, arcula, kleiner Kasten), altera res easdem atque primitiva significant, sed hypocoristico dicendi colore.

b.

aedicula, kleines Gemach. Epid. 402.

ampulla, kleine Flasche. Merc. 927; Pers. 124; Stich. 228.

anguilla, Aal. Pseud. 747, inc. fab. frg. XXI. Proverbium in Pseudolo exstat: Anguilla est, elabitur, quod de homine callido dicitur.

anulus, Ring. Bacch. 327 saepe et anulatus Poen. 981. descendunt ab anus, Kreis, deinde Fussring (Men. 85.) unde deminutivum anulus, δακτύλιος, qui manum ornat.

arcula, Kaestchen. Most. 238 et arcularius, qui eas fabricatur Aul. 519 ab arca voce.

armilla, Armspange, Men. 536. descendit ab armus ut bras, bracelet, δάκτυλος δακτύλιος, mutato tamen genere.

articulus, Gelenk Men. 140; articulatim. Epid. 488. Corssenius (Krit. Beitr. p. 349) hoc vocabulum ab artire non ab artus descendere putat, ita ut articulus esset instrumentum, quo iungantur inter se ossa.

assula,[1]) Spahn, Splitter et assulatim Merc. 129; Capt. 832; Men. 859. Praeter assula vocem a Senecae et Plinii temporibus astula et hastula occurrunt (in Catulli carmine XVII, v. 3. axulis). Et assiculus semper ss litteris scribitur, contra primitivum assis, Bohle, plerumque x (primum exemplum Caesar b. c. II, 9, 2 praebet). Festus omnino axis, idem omnes fere codices Caesaris operum ponunt. In Vitruvii et Plinii libris deinde coaxare, coaxatio exstant voces. Assula omnino generis feminini, assiculus et ass(x)is plerumque masculini sunt (excepto Palladii loco I. 9, 2). ss litteras in assula, assiculus non eo tantummodo confirmatur veteriores esse quam x, quod assula apud Plautum, axis autem apud Caesarem demum invenitur (nam ss ex x factum esse accipi non potest, quamquam et cossim (prisca latinitate) et coxendix dicebant), sed eo etiam, quod assula manifesta cognatione coniuncta est voci asser Stange, Latte. Cum assula vocabulum in libris

---

[1]) Hanc disputationem comitati praeceptoris carissimi, J. Wackernagelii debeo, quam liberaliter mihi permisit.

exstat qui ducentis annis antecedunt illas voces (assiculus et axis), elucet femininum genuinum esse genus.

Sed unde haec orta est implicatio? Initio assis (fem. gen.) unbehauenes Brett, Bohle et assula, Spahn, exstiterunt. Deinde assis vox alteri axis (ἄξων) forma et significatione simillimae aequata est, ita ut assis fem. gen. axis masc. facta sit. Deminutivorum alterum assiculus factum est etsi genus non tamen x litteram primitivi (ob cacophoniam) accipiens, alterum a Senecae temporibus (h)astula Staebchen voce scriptores confuderunt. Ita Ser. Clodius Scriba commentariorum libro quarto apud Servium ad Aen. I, 176 pro fomites astulae ambustae ponit, ut hanc vocem explicet.

Plaut. Capt. 832 Aperite hasce ambas foris Prius quam pultando assulatim foribus exitium adfero. Men. 859 Osse fini dedolabo assulatim viscera. Merc. 129. At etiam asto? at etiam cesso foribus facere hisce assulas? Furius Bibaculus ap. Suet. de gramm. c. XI: Siquis forte mei donum Catonis Depictas minio assulas, et illos Custodes videt hortuli Priapos — mirabitur e. q. s. Vitruv. VII, 6, 1, Caementa marmorea sive assulae dicuntur.

caltula, Calthakleid et *crocotula*, Crocoskleid. Epid. 231. Nonius Marcellus[1]) cap. XVII, quod est de coloribus vestimentorum, haec affert: Caltulam et crocotulam utrumque a generibus florum translatum a calta et a croco. Vergilius in Bucolicis (II, 50): Pinguia luteola pingit vaccinia calta. Plaut. in Epid.: Indusiatam, patagiatam, caltulam et crocotulam e. q. s. Sed. caltulam Varro de vita pop. Rom. lib. I palleolum breve voluit haberi: caltula est palliolum praecinctui, quo nudae infra papillae praecinguntur; quo mulieres nunc et eo magis utuntur, postquam subuculis desierunt. Et homines effeminatos κροκωτόν sumpsisse Athen. XII, 519 c. narrat. (cf. Arist. Ran. v. 46).

cincticulus, kleiner Guertel. Bacch. 432.

---

[1]) Noni Marcelli compendiosa doctrina emendavit et adnotavit Luc. Muellerus. Partes II. Lips. 1888.

cistula, cistella, cistellula, Kaestchen, Amph. 420, Cist. IV, 2, 47 (450), Rud. 391 et hic et infra afferuntur, quia et deminutiva proprie dicta et ὑποκοριστικῶς posita sunt vocabula. Idem significant, cistellula tamen a servi tantummodo persona dicitur apud Plautum.

condalium, Ring, deminutivum condulus vocis, quae idem atque anulus significat. (cf. Paul. Fest. p. 38), Trin. 1014, 1020. Condalium et titulus comoediae Menandri Δακτύλιος est, quam Plautum transtulisse Varro L. L. VII, 77 affirmat, Attius autem apud Gellium III, 3, 9 negat.

corbula, Koerbchen, Aul. 366 a corbis. Alius formationis praebet deminutivum Palladius III, 10, 6 corbicula.

ensiculus, Schwertchen, Rud. 1157, 1160 et ensicula Rud. 1169 (quod restituit vocabulum Schoellius e testimonio Probi apud Prisc. Inst. III, 44 extr. ensis, ensiculus, ensicula. Praeter ensiculos et bullae, lunulae, suculae, maniculae conexae, alia crepundia nominantur.

hamulus, kleiner Haken, Stich. 289 ubi hamulus piscarius exstat.

longule, ziemlich weit, Men. 64, Rud. 266.

maiusculus, etwas groesser (aelter), Poen. 155 et *minusculus*, Poen. 498. Trin. 888, etwas juenger.

palliolum, griechischer Mantel. Cas. 246; Epid. 194; palliolatim, Pseud. 1275.

parvolus, klein, Capt. 982, 1013; Curc. 528 passim. Homines apud Plautum parvoli, bestiae pullae vocantur.

paululum et paululus, wenig, gering. Asin. 925, Aul. 711, passim.

perula, Raenzchen, Truc. 535. Gruterus restituit, Buechelerus purpuram tentavit.

pinnula, Federchen, Fluegelchen. Amph. 143.

pistillum vel pistillus, kleinere Moerserkeule, descendit a pinsere. Aul. 95. Aliae formationes eiusdem stirpis sunt pistrinum, pistrina, pistrilla Ter. Ad. 584. Priscianus l. c. III, 44 errore magno premitur dicens . . . et sciendum, quod pauca deminutiva inveniuntur, quae non servant genere primi-

tivorum, ut rana, ranunculus . . . pistrinum, pistrilla; quasi pistrina non exstaret iuxta pistrinum.

porculus, Ferkel. Men. 314. Rud. 1170.

portisculus, Haemmerchen des Rudermeisters. Asin. 520, cui stirpi attribuenda sit vox, nescio. Et Laberius in Hetaera (Ribb. p. 287) dicit: Nec palmularum pulsus nec portisculi.

pullus, jung, Asin. 209, Capt. 849, Curc. 450. Plerumque de bestiis dicitur, tamen unus locus excipiendus est. Rud. 567: Labr: Opsecro hercle adulescens, ubi istae sunt quas memoras mulieres? Scep: Hic in fano Veneris. Labr: Quot sunt? Scep: Totidem quot ego et tu sumus. Labr: Nempe meae? Scep: Nempe nescio istuc. Labr: Qua sunt facie? Scep: Scitula. Vel ego amare utramvis possum, si probe adpotus siem. Labr: Nempe pullae? Scep: Nempe molestus es: i, vise, si lubet. Atqui locus hac laborat difficultate, quod codices inter se discrepant. B praebet Nempe pulle (quod Goetzius accepit una littera mutata), C.D.F.Z. Nempe puellae, A. NEPVELLAE. Cum autem Horatius (Sat. I, 3, 45) et Suetonius (Calig. 13) primi ausi esse videantur pullus vocem ad homines referre, veri dissimile non est, puellae (non pullae) Plautum scripisse.

rufulus, roetlich. Asin. 400. de capite servi dicitur.

scutula, flaches Schuesselchen, rautenfoermiges Laeppchen. Mil. 1178 a scutra (non a scutum vel σκυτάλη) aut scuta, quod vocabulum in Lucil. sat. V, 17 occurrit.

securicula, kleines Beil. Rud. 1158—63. Haec et alia crepundia infantibus qui exponebantur, cistula cohibita dabantur, quibus parentes postea liberos cognoscerent. Hanc ob rem securicula litterata est, matris nomen inest.

singillatim, einzeln, Trin. 881. Fleckeisenus[1]) docet, non singulatim, sed singillatim scribendum esse.

sitella, Loostopf. Cas. 296, 342, passim a situla, de aliquo sitellam deferre i. q. suffragium dare. Cic. nat. deor. I. 106.

sportula, Koerbchen, Curc. 289, Men. 219 a sporta.

---

[1]) Fleckeisen: Fuenfzig Artikel aus einem Huelfsbuechlein fuer lateinische Rechtschreibung. Lips. 1861. p. 29.

staticulus, pantominischer Tanz. Pers. 824 a status.

sucula, Schweinchen, Rud. 1170 aliud quid ad crepundia pertinens.

surpiculus (scirpiculus) surpiculi piscarii, Fischreusen. Capt. 815.

tabella, Schreibtaefelchen, plus triciens in Plauti fabulis occurrit, exempli gratia Curc. 347, Bacch. 715, Mil. 73, Pers. 460.

tantulus, so klein. Bacch. 209.

ungula, Klaue, Kralle, Huf. Asin. 340, Aul. 467, Pseud. 643. *ungulus*, Nagel an der Zehe. Epid. 623 (nisi cum B. Z. codd. unguiculo scribendum est). *unguiculus*, Stich. 761, Finger = Zehennagel, tria unius primitivi unguis (ὄνυξ) deminutiva. Ex unguiculis perpruriscere proverbium est, quod praeter locum Stichi et Apuleius[1]) metam. X. 22 praebet.

vasculum, kleines Gefaess. Aul. 270, Rud. 134.

Restat ut de vocibus *primulus, primulum* paucis agam. Atque loci Plautini tres (Amph. 737, Cas. prol. 40, Paras. pig. frg. I) eundem primulus deminutivi usum demonstrant; coniunctum est cum crepusculum vel diluculum vocabulo et eandem adiectivum formam praebet quam substantivum (nam ita ut dixi supra, quamquam diluculum deminutivum non est, bene fieri potuit, ut ad exemplum crepusculum vocis effictum cogitaretur).

Idem fere de primulum adverbio dicendum est, quod exstat in Friv. frg. VIII: Tunc papillae primulum Sororiabant — illud volui dicere — Fraterculabant. Deinde cum verbis inchoandi coniunctum exstat Ter. Ad. 289: Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum, Men. 916: Jam hercle occeptat insanire primulum Mil. 1004: Hercle vero iam adlubescit primulum, Palaestrio, Ter. Ad. 898. Paulatim plebem primulum facio meam. Postremo haec vox occurrit Men. 1116: tum dentes mihi cadebant primulum, ubi Menaechmus more infantium ὑποκοριστικῶς loquitur.

---

[1]) L. Apuleii Opera omnia, ed. Hildebrand. Lips. 1842.

c.

Postquam vocabula omnia contuli, quae vel notione deminutiva vel vi hypocoristica carent, iam ad ea transeo, quae ὑποκοριστικῶς posita sunt, quamquam non ignoro, difficillimum esse nec omnino fieri posse, ut bene segregentur et distineantur haec a ceteris, quae emuneravi. Sunt enim voces quaedam, quae tam illi quam huic generi tribuendae sunt, cum aut modo deminutive modo ὑποκοριστικῶς posita sint, aut sane dubitari possit quamnam vim habeant. Omnia haec vocabula ita enumerabo, ut primum quae ad humani corporis partes, quae ad vestimenta ornatumque, ad supellectilem, arma, lusus, ad bestiarum nomina earumque partes, deinde ad plantarum fructuumque spectant, tum quae ad personas pertinent exemplis collatis tractem, postremo ea, quae, quamquam ad varia genera pertinent, propter varietatem singulorum vocabulorum in uno ponam conspectu. Multo maior enim est numerus horum quam deminutivorum, quae priori paragrapho tractavi idque eo fit, quod huiusce generis voces non tam ad forensem quam ad domesticam pertinebant vitam earumque usus praesertim cum servis et liberis erat.

Sed non Plautina Terentianaque deminutiva tantummodo afferam, immo omnium comicorum Latinorum et Catulli (qui praecipue in primis fere sexaginta carminibus permulta exempla praebet) ut omnia accurate exponam; deinde, quia Plautus Terentiusque Graecos auctores secuti sunt, et eos pervestigavi. Atque ἀρχαίας κωμῳδίας specimen Acharnenses adhibui, νέας autem fragmenta, praeterea Alciphronis epistulas et Luciani dialogos meretricios. Postremo consului Herondae mimiambi et Euripidis Cyclopis quae praebent perpauca deminutiva.

1. Ad humanum corpus vel eius partes statusque et condiciones spectant haec:

aetatula, Cist. I, 1, 50, Most. 208; Pseud. 173; Pers. 229; Rud. 894. Optime hoc de vocabulo Muellerus l. c. p. 37 sq. agit dicens: „Aetatula ea vox est, qua deminutiva vis et

natura bene illustretur. Aliis enim locis eo vocabulo notatur mollitia aetatis puerilis, ut in Cic. Fin. V, 20, 55: „Facile est hoc cernere in primis puerorum aetatulis" et in Apul. Apol. p. 4 (apud Hildebrand de magia liber c. 2): „adscribit se ei assistere novo more per alium lacessendi: scilicet ut obtentu eius aetatulae ipse insimulationis falsae non plecteretur", aliis locis formositas et venustas aetatis adultae, ut Plaut. Rud. 894: „iam cluentas repperi Atque ambas forma scitula atque aetatula"; Apul. Met. X, c. 31. „Quam quidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat, ut dimota pateret flos aetatulae;" id. X, c. 29: „Puelli puellaeque virenti florentes aetatula" e. q. s.; id. I, c. 12: „hic catamitus meus, qui diebus ac noctibus meam aetatulam illusit"; Suet. Claud. 16: „monuit ut aut parcius aetatulae indulgeret aut certe cautius" (cf. Pseud. 1133 qui se suamque aetatem bene curant, edunt, Potitant, scortantur, sed vide Bergk. opusc. I, p. 112) . . . . Pers. 229: „Temperi hanc vigilare oportet formulam atque aetatulam"; Pseud. 173: „Vos (scil. mulieres) quae in munditiis, mollitiis, deliciisque aetatulam agitis". Proximis locis cerni potest, eo vocubulo etiam despicienter notari posse et notatam esse a scriptoribus voluptariam adultae aetatis naturam." Praeterea Loewius[1]) in Casina v. 47 aetatulam pro aetatem scribit. Haec vox ad mulieres potius quam viros spectat, Persae autem loco ad puerum.

animulus, Cas. 134: Cum mihi illa (Casina) dicet: mi animule, mi Olympio, Quasi mus in medio pariete vorsabere. Men. 361: Animule mei, mihi mira videntur Te hic stare foris, fores quoi pateant. Et in Curculione Goetzius pro anime, animule scribit v. 98. Proprie hypocoristice dictum Hadriani illud: Animula vagula, candida, horridula e. q. s. Spart. Hadr. 25, 9.

auricula, Asin. 668: Praehende auriculis, conpara labella cum labellis et Poen. 375: Sine te exorem, sine prehendam auriculis, sine dem savium.

---

[1]) cf. Loewii Analecta Plautina, p. 204.

buccula, Truc. 290: quia bucculas tam bene purporissatas habes.

capitulum, Asin. 496: Jam nunc secunda mihi facis. Scibam huic te capitulo hodie facturum satis pro iniuria. Curc. 293: Ubi quid subrupuere, operto capitulo calidum bibunt. Et Terentius Ennucho 531: O capitulum lepidissimum.

corculum, Cas. 361: stimulus ego nunc sum tibi Fodico corculum; ibid. 837: Nunc pol demum sum liber Meum corculum, melculum, verculum. Most. 974: qui cum istaec sciet Facta ita, amburet ei misero corculum carbunculus.

corpusculum, Cas. 843: o corpusculum malacum.

crusculum, Syr. frg.: cum extortis talis, cum crotillis / todillis crusculis.

digitulus, Bacch. 675: Quid malum igitur, stulte; quom iam occasio ad eam rem fuit Mea virtute, parata, ut quantum velles, tantum sumeres, Si hoc digitulis duobus sumebas primoribus? Poen. 566: Tenetis rem. — Vix quidem hercle, ita res pauxillast, digitulis primoribus. Rud. 720: Agedum ergo, tange utramvis digitulo minumo modo. Accedunt loci Epid. 640: Non meministi me auream ad te adferre natali die Lunulam atque anellum aureolum in digitulum? ubi Goetzius digitulum correxit e digitum voce, et Ter. Eun. 284: Qui mihi nunc uno digitulo foris aperis fortunatus.

edentulus, Cas. 550: flagitium maxumum feci miser Propter operam illius hirqui interpolis edentuli Qui hoc mihi contraxit. Most. 265: Vetulae, edentulae (mulieres), quae vitia corporis fuco occulunt. Poen. 700: Ubi tu Leucadio, Thasio, Chio, Lesbio Vetustate vino edentulo aetatem inriges. Locum Men. 864 correxerunt Beroaldus, Pius edentulum pro edentuis edentius scribentes.

labellum: Ubi propria posita est notione haec vox, deminutivam non hypocoristicam vim habet, ubi translate, blandam. Hoc quoque mentione non indignum videtur esse, e Plauti fabulis usum derivari posse, virorum labia labra, mulierum labella appellata esse,[1]) quod e quinque locis efficitur. Asin.

[1]) Haec cum scripsissem, in Philol. vol. XXX. S. Buggii inveni „Beitraege zur Texteskritik der Plautinischen Komoedien", qui idem de usu labra

797: Quod illa autem simulet (scil. Philaenium meretrix), quasi gravedo profluat, Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas Potius quam quoiquam savium faciat palam. Mil. 1335: labra ab labellis aufer, nauta: cave malum. Pseud. 67a: teneris labellis molles morsiunculae (quo loco Phoenicium blandiens omnia fere vocabula minuit, quibus amorem Calidori exprimat atque itidem accendat) ibid. 1259: ubi amans complexust amantem, ubi labra ad labella adiungit. (cf Bacch. 480). Translate haec vox de mulieribus dicitur ita in Poen. 366 Milphio servus dicit: Meus ocellus, meum labellum e. q. s. et postquam Agorastocles amoris stimulis agitatus eum hoc dicere vetuit, facete appellat Adelphasium (ut docuerat erus: huius mel, huius cor, huius labellum) 383—388: Opsecro hercle te voluptas huius atque odium meum . . . . mel huius, fel meum e. q. s.

lacrimula: Ter. Eun. 67: Haec verba illa una me hercle falsa lacrimula Quam oculos terendo misere vix vi expresserit Restinguet. Cic. pro Planc. § 76: Sic enim dixisti: Vidi ego tuam lacrumulam. Vide, quam me verbi tui paeniteat. Non modo lacrumulam, sed multas lacrumas et fletum cum singultu videre potuisti. — Qui locus Terentiano simillimus est eo, quod et hic et illic lacrimula vox non solum unam parvam lacrimam significat, sed qua etiam irrisio exprimitur. Et Catullus hunc verbi usum exhibet c. 66, 15 sqq: Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum Frustrantur falsis gaudia lacrimulis Ubertim thalami quas intra limina fundunt? quo loco vox ὑποκοριστικῶς tantummodo posita est.

ligula pro lingula (cf. Prisc. Instit. III, 42 H.) Poen. 1014: Ligulas canalis ait se advexisse et nuceis; ibid. 1309: Ligula i in malam crucem (ubi translate positum est vocabulum).

---

et labella vocabulorum observans, locum illum Bacch. 430 sic restituit: Manus ferat ad papillas a labellis labra nusquam auferat? Unus Asin. 668 locus a consuetudine discedit, tamen non pugnat cum regula, quia servus blandiens vocabula minuit fere omnia et hoc modo deminutivis ludit.

limulus Bacch. 1130: Viden limulis (scil. oculis), opsecro, ut contuentur?

mamilla a mam(m)ula formatum est, quod vocabulum saepe in iuscriptionibus exstat, exempli gratia C. J. L. VIII, 1774,5. Pseud. 180: Ubi isti sunt, quibus vos oculi estis, Quibus vitae, quibus deliciae estis, quibus savia, mamillae, mellillae? Eiusdem stirpis est mamillare quod praebet Martialis XIV, 66 lemm.

mammicula Pseud. 1261: Ubi mamma mammicula opprimitur aut si lubet corpora conduplicant. Vix hunc locum affere audeo, cum ita corruptus sit, ut eodem iure (et maiore ut mihi quidem videtur) manicula mamma legas.

manicula Rud. 1169: Postid ensicula argenteola et duae conexae maniculae Et suculast.

morsiuncula Pseud. 67a: Teneris labellis molles morsiunculae. Et Apul. Met. VIII: Quae (formicae) simul dulcem ac mellitum corporis nidorem persentiscunt, parvis quidem sed numerosis et continuis morsiunculis . . . membra nudarunt.

ocellus: proprie et translate ponitur; ut labellum. Asin. 664: Da, meus ocellus, mea rosa . . . argentum mihi; ibid. 691: Mi Libane, meus ocellus aureus donum decusque amoris. Cas. 136: Sine tuos ocellos deosculer, mea voluptas. Most. 159: Volo me placere Philolachi, meo ocello, meo patrono. Rud. 422: Pro di immortales, Veneris ecfigia haec quidemst, Ut in ocellis hilaritudost, heia corpus quoiusmodi. Ocellus vox ter proprie, octiens translate posita est, quorum quaterna mulierem, quaterna virum spectant.

oppressiuncula, Pseud. 68: Papillarum horridularum oppressiunculae.

unguiculus, Stich. 761: celeriter Lepidam et suavem cantionem aliquam occipito (scil. tibicen) cinaedicam Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis.

ungulus, Epid. 623: Usque ab ungulo ad capillum summumst festivissuma (nisi cum B. Z. codd. unguiculo legendum est.)

Apud Comicos reliquos exstant petiolus, Afran. 155 et

vocula, Titin. 171, apud Catullum auricilla, 25; brachiolum, 61; latusculum, 25; medullula, 25; saviolum, 99.

Apud Graecos: γαστρίον Nicostrat. 2, μαστάριον Alciph. I, 31. ποδάριον Alexis 110, ποδίσκος Herond. 7, πυγίδιον Ar. Ach. 638; στηθίον Alexis 98, στηθύνιον Eubul. 150, σκελύδριον Herond. 4, τιτθίον Ar. Ach. 1199.

2. Ad vestimenta ornatumque pertinent haec:

anellus, Epid. 640: Non meministi me auream ad te adferre natali die Lunulam atque anellum aureolum in digitulum?

cincticulus, Bacch. 432: Inde de hippodromo et palaestra ubi revenisses domum, Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum adsideres Cum libro ut legeres.

corolla, Bacch. 70: Ubi ego capiam ... pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis; Pseud. 1265: Deis proxumum esse hoc arbitror... Unguenta atque odores, lemniscos, corollas dari dapsilis; ibid. 1299: Quae istaec audaciast, te sic interdius Cum corolla ebrium incedere?

crepidula a crepida quod est κρηπίς Pers. 464: Tum hanc hospitam autem crepidula ut graphice decet.

lemniscus i. q. λημνίσκος Pseud. 1265 quem locum s. v. corolla attuli.

**limbolus*, unde limbolarius (ut arcularius ab arcula) Aulul. 519: Stant phylacistae in atriis Textores, limbolarii, arcularii.

linteolum, Epid. 230: Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum caesicium.

lunula, Epid. 640 quem versum attuli s. v. anellus.

palliolum, Cas. 246: Mades, mecastor: vide palliolum, ut rugat; ibid. 934: Sed ubist palliolum tuom tibi? Epid. 194: Age nunciam orna te, Epidice, et palliolum in collum conice; Mil. 1179: Palliolum habeas ferrugineam, nam is colos thalassicust. Et *palliolatim*, Pseud. 1275: Postid palliolatim amictus sic incessi ludibundus.

pallula, Truc. 52: Priusquam unum dederis, centum quae

poscat, parat (meretrix): Aut aurum periit, aut conscissast pallula; ibid. 271: Quia tibi insuaso infecisti propudiosa pallulam, An eo bella's? ibid 536: Mea voluptas, attuli eccam pallulam ex Phrygia tibi.

sandalium (σανδάλιον), Ter. Eun. 1028: Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.

tunicula: Rud. 549: Eheu redactus sum usque ad unam hanc tuniculam Et ad hoc misellum pallium, perii oppido.

Praeterea inveniuntur pittacium (πιττάκιον) Laber. com. 61; ricula Turp. 14; stalagmium (a στάλαγμα) Caec. Stat. 106; togula Titin. 138; et apud Catullum strophium (στρόφιον) 64, zonula (a ζώνη). Graeca haece: βακτήριον Ar. Ach. 448, δακτύλιος Luc. 7., ζωνίον Alciphr. I, 39; θερίστριον Eubul. 103., ἱππίσκος Crat. iun. 5; καρκίνιον Herond. 7., ὀθόνιον Ar. Ach. 1176; πιλίδιον Ar. Ach. 439; ῥάκιον Ar. Ach. 412; σαμβαλίσκος Herond. 7 aeolica dialecto vocabatur σανδαλίσκος (Ar. Ran. 405); σανδάλιον Antiphan. 190; σκευάριον Ar. Ach. 451; στεφάνιον Alc. I, 36; ταραντινίδιον Luc. 7; τριβώνιον Alc. III, 40; χιτωνάριον Menandr. 727; χιτώνιον Luc. 7; χιτωνίσκος, Luc. 7; χλαμύδιον Alc. I, 38; χλανίδιον Alc. I, 38; χλανίσκιον Ar. Ach. 519. Plura in Pollucis Onomastici libro VII. invenies.

3. Ad supellectilem, arma, lusum spectant haec:

aerumnula, Paul. Fest. p. 24: Aerumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant ... Itaque aerumnae labores onerosos significant.

ampulla, Merc. 927: Tollo ampullam atque hinc eo. Pers. 124: Cynicum esse egentem oportet parasitum probe: Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium, Marsuppium habeat. Stich. 228: Robiginosam strigilim, ampullam rubidam Ad unctiones graecas sudatorias Vende vel lalias malacas crapularias.

armariolum, Truc. 55: Aut armariola Graeca aut — aliquid semper est, Quod deferat dedatque amans scorto suo.

carbunculus, Most. 974: qui quom istaec sciet Facta ita, amburet ei misero corculum carbunculus.

celocula, Mil. 1006. Tum haec celocula illa absente subigit me, ut amem.

cistula, cistella, cistellula voces et hic nominentur necesse est, cum dubium sit, habeant vim hypocoristicam necne. Quarum „cistella“ usitatissimam fuisse magno exemplorum numero et titulo fabulae „Cistellariae“ demonstratur. Sed cum omnes eandem notionem habeant et omnes eadem fabula offerantur, apparet, Romanos tres unius stirpis et significationis voces simul et promiscue usurpasse. Rud. 1082: Crepundia isti (mulieri Palaestrae) in ista cistula insunt, quae isti inest in vidulo; ibid. 1109: Cistellam isti inesse oportet caudeam in isto vidulo; ibid. 1078: Isti (vidulo) inest cistellula Huius mulieris, quam dudum dixi fuisse liberam. Terentius cistella vocis exemplum affert in Eunucho 753: Abi tu, cistellam, Pythias, domo ecfer cum monumentis.

crumilla „Geldbeutelchen“ a crumena Pers. 687: Ne non sat esses, leno, id metuebas miser, Impure, avare, ne crumillam amitteres?

culcitella „Matraetzchen“ a culcit(r)a, culcitula Most. 882: Novit erus me. — Suam quidem pol culcitellam oportet.

ensiculus, Rud.: 1156—60 Ensiculust aureolus primum litteratus. — Dicedum, in eo ensiculo litterarum quid est? — Mei patris nomen . . . Dic in ensiculo quid nomen est paternum? ibid. 1169: Postid *ensicula* argenteola, ubi Schoellius Prisciani (Inst. III, p. 115, 18 H) testimonio nisus ensicula vocem restituit.

facula, Pers. 515: Tace, stultiloque: nescis quam tibi Fortuna faculam lucrifera adlucere volt.

flabellum, Ter. Eun. 595: Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamur; ibid. 602: ego limis specto Sic per flabellum clanculum. Et *flabellulum* exstat Eun. 598: flabellulum tenere, quod e flabellum correxit Fleckeisenus.

libellus, Pseud. 706: In libello hoc obsignato huc attuli pauxillulo.

laterculus, Poen. 352: Opsecro hercle, ut mulsa loquitur. Nihil nisi laterculum Sesumam papaveremque.

lectulus, Pers. 759: Statuite hic lectulos: ponite hic quae adsolent. Truc. 54: Aut vas ahenum raptum aut cleptus lectulus. Schoellius cleptus lectulus tentat pro electus laptiles, lectus laptiles, dapsilis, quae tradunt libri. Haud minus bene Buechelerus electus lapis scribit. Ter. Adelph. 285: Et lectulos iube sterni nobis et parari cetera; ibid. 585: Lectulos in sole ilignis pedibus faciundos dedit. Eun. 573: Deinde eam (virginem) in lectulo locarunt.

mensula, Most. 296: Age accumbe igitur. Cedo aquam manibus puere, appone hic mensulam. Apul. Met. II, 11: Milonis boni concinnaticiam mensulam rogatus accubueram; ibid. II, 15: adstitit mensula coenae totius, honestas reliquias tolerans.

peniculus, Rud. 1008: Jam ego te hic itidem quasi peniculus novos exurgeri solet. Ni hunc amittis, exurgebo, quidquid umoris tibist, quo loco Guietus et Reizius peniculum scribunt pro penicillum quod praebent libri. Ter. Eun. 777: Quid ignave? peniculone pugnare, qui istum huc portes, cogitas? et iocose parasito in Menaechmis agente nomen Peniculo tribuit Plautus.

scaphium, Bacch. 70: Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis. Pers. 124: Ampullam, strigilem, scaphium. Formationis Graecae vocabulum est.

securicula, Rud. 1158 sq: Post altrinsecust securicula ancipes; ibid. 1163: Loquere matris nomen hic quid in securicula siet.

sportula, Curc. 289: Tum isti Graeci palliati capite operto qui ambulant, Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis. Men. 219: Sportulam cape atque argentum. Stich. 289: Harundinem fert sportulamque et hamulum piscarium.

sitella, Cas. 296: Intro abi atque actutum uxorem huc evocate ante aedis cito. Et sitellam huc tecum efferto cum aqua et sortis; ibid. 342: Coniciam sortis in sitellam et sortiar Tibi et Chalino; ibid. 396: Deos quaeso, ut tua sors ex sitella effugerit.

tegillum, Rud. 576: tegillum eccillud mihi unum id aret; id, si vis, dabo.

tigillum, Aul. 301: De suo tigillo fumus si qua exit foras. Contemptim tigillum (a tignum) dictum est de tecto.

Apud Comicos et Catullum exstant bacillum Afran. 224, calathiscus (*καλαθίσκος*) Catull. 64, capsula Catull. 68ᵃ, flagellum Cat. 25, furcilla Cat. 105, labellum (kleine Wanne) Afran. 187[1], mustricula Afran. 419, navicula Afran. 137, palmula Laber. 53, parunculus, Inc. inc. fab. 23, plagula, Afran. 413, remulus Turp. 97, sacculus Catull. 13, salillum Cat. 23, sicula Catull. 67.

Apud Graecos: *ἀκάτιον*, Epicrat. 10; *ἀλαβάστιον* Eubul. 100; *ἀργυρίδιον* Diphil. 19 (qua voce philosophi divitias designabant cf. Isocrat. 13, 4: *ἀργυρίδιον καὶ χρυσίδιον πλοῦτον καλοῦσιν*); *ἀσπίδιον* Menandr. 765; *βατάνιον* Antiph. 95; *δαπίδιον* Hipparch 1; *δοράτιον* Mnesimach. 7; *ἐκπωμάτιον* Diphil. 19; *θύριον* Alc. I, 23; *ἱστάριον* Menandr. 142 (cf. Ter. Heaut. 293); *κακκάβιον* Eubul. 38; *καλαθίσκος* Menandr. 1018; *καλαμίσκος* Ar. Ach. 1034; *καλῴδιον* Alciphr. III, 4; *κεράμιον* Eubul. 132; *κερμάτιον* Philippid. 23; *κοτυλίσκιον* Ar. Ach. 459; *κύβιον* Alexis 15; *κυμβίον* Anaxandr. 3; *κωδάριον* Anaxandr. 34; *κωδίον* Philem. 26; *λαγύνιον* Diphil. 3; *λαμπάδιον* Ar. Ach. 1177; *λαρκίδιον* Ar. Ach. 340; *λεβήτιον* Menandr. 1027; *λεκάνιον* Ar. Ach. 1108; *λοπάδιον* Eubul. 9; *λυχνίον* Antiphan. 55; *μαρσίπιον* Apoll. Caryst. 13; *μαχαίριον* Menandr. 765. *ξίφιον* Anaxipp. 2; *ξυλήφιον* Alex. 98; *ὀβελίσκος* Ar. Ach. 1007; *πατάνιον* Antiph. 70; *πηρίδιον* Alc. III, 40; *πιθάκνιον* Eubul. 132; *πιλίδιον* Antiph. 33; *πλοιάριον* Menandr. 65; *ποτηρίδιον* Menandr. 24; *πυξίον* Anaxandr. 13; *σανίδιον* Menandr. 202; *σανίσκη* Herond. 4; *σκαφίδιον* Alciphr. I, 2; *σκιμπόδιον* Philem. 26; *σκυτάριον* Anaxilas 18; *σπυρίδιον* Ar. Ach. 453; *σταμνάριον* Ephipp. 24; *σταμνίον* Menandr. 129; *τριπόδιον* Antiph. 249; *φερνίον* Menandr. 717; *χυτρίδιον* Ar. Ach. 463; *ψιάθιον* Philem. 26; *ψυκτήριον* Nicostr. 9.

4. Ad bestiarum nomina et earum partes haec pertinent:

agnellus, Asin. 667: agnellum, haedillum me tuom dic esse vel vitellum.

anaticula, Asin. 693: Dic igitur med anaticulam, columbam vel catellum.

apicula, Curc. 10: Egone apicularum congestum opera non feram. Ex dulci oriundum melculo dulci meo?

asellus, Aulul. 229: Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit, Te bovem esse et me esse asellum.

canicula, Curc. 598: Vix foras me abripui atque effugi. Apage istanc caniculam.

catulus, Asin. 184: Volt famulis, volt etiam ancillis (scil. placere) et quoque catulo meo Subblanditur novos amator. Epid. 579: * * * aliter catuli longe olent, aliter suis. Truc. 268: Jam hercle ego hic te, mulier, quasi sus catulos pedibus proteram. Inc. fab. frg. LIV: Et ego te conculcabo, ut sus catulos suos. Num vim deminutivam habeat vox, dubitari potest, tamen primo quod attuli exemplo demonstrari videtur. Catulus vocabuli exstat deminutio:

catellus, Asin. 693: Quem locum s. v. anaticula attuli. Curc. 691: Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes. Ferreo ego dico. *catellus* ambiguitatis causa positum est, quae vox simillima est *catella* vocabulo, quod Huendchen et Kettchen significat. Et alii scriptores hanc usurpaverunt vocem, ut Iuv. VI, 654: Morte viri cupiant animam servare catellae; Petr. Sat. 64: Puer autem lippus, sordidissimis dentibus catellam nigram atque indecenter pinguem prasina involvebat fascia.

curculiunculus, Rud. 1325: Curculiunculos minutos fabulare.

equula, Prisc. Inst. III, 42 e Cistellaria hunc affert versum: Adhinnire equulam possum ego hanc, si detur sola soli.

haedillus, Asin. 667. (vide s. v. agnellus).

involvolus, Cist. IV, 2, 64, (467) Imitatur nequam bestiam et damnificam. — Quamnam amabo? — Involvolum, quae in pampini folio intorta implicat se.

lingulaca, Cas. 497: Vin lingulacas? Quid opust quando uxor domi est? Ea lingulacast nobis, nam numquam tacet.

loliguncula, Cas. 493: Emito sepiolas, lopadas, loligunculas.

lusciniola, Bacch. 38: Pol ego metuo, lusciniolae ne defuerit cantio.

passerculus, Asin. 666: Dic igitur me passerculum, gallinam, coturnicem; ibid. 694: (Dic me) passerculum, putillum.

pisciculus, Ter. Andr. 369: Holera et pisciculos minutos ferre obolo in cenam seni.

pithecium, πίθηκος, Mil 989: Bellulast. — Pithecium haec est prae illa et spinturnicium. Pius pro phitecium, phiterium, quae praebent verba libri, iure restituit pithecium. Etiam in Truculento personae nomen est Pithecio.

porculus, Men. 314: Jubeas, si sapias, porculum adferri tibi. Rud. 1170: Quin tu i dierecta cum sucula et cum porculis. Et feminini porca, porcula exstat deminutio altera:

porcella, Mil. 1060: Non hic suo seminio quemquam impertiturust. Reizius hoc loco corrupto porcellam tentavit pro proculem, proculeum, porculeum quas libri offerunt voces. Magis tamen mihi coniectura Buggii (op. ad Madvig. p. 168) arridet, qui porculeum scribit. — Et Ael. Lampridius Alex. Sever. formam porcellulus praebet.

pullus, Asin. 209: Ubi quid dederam quasi columbae pulli in ore ambae meo Usque eratis. Capt. 849: Juben . . praestinatum abire . . . . alium pullos gallinaceos. Curc. 450: Conclusi ut pulli gallinacei. Poen. 1293: male ego metuo milvos, Mala illa bestiast: ne forte me auferat, pullum tuom.

sepiola, Capt. 850: Sepiolam atque ophthalmiam, quo loco pro pernam, quod praebent libri, Schoellius sepiolam coniecit. Cas. 493 (quem locum s. v. loliguncula attuli).

sucula, Rud. 1170. (vide s. v. porculus).

vitellus, Asin. 667. (quem locum s. v. agnellus attuli).

Comici Latini praeterea haec afferunt: catellae Caec. Stat. 189; cerebellum Titin. 90; hilla Laber. 145; hirula Laber. 23; volvula Naev. 23.

Graeci haec: *αἰγίδιον* Antiphan. 20; *ἀλεκτρυόνιον* Ephipp. 15; *ἀλωπέκιον* Mnesimach. 4; *ἄρνιον* Eubul. 150; *βοΐδιον* Ar. Ach. 1036; *γλαυκίδιον* Antiphan. 222; *γλαυκινίδιον* Amphis 35; *γλαυκίσκος* Baton 5; *δελφάκιον* Eubul. 7; *ἐγχέλειον* Antiphan. 43 (nisi est adiectivum et intellegendum est *κρέας*); *ἐγχελύδιον* Amphis 35; *ἐντερίδιον* Alexis 84; *ζῳδάριον* Alexis

140; ζῴδιον Hegesipp. 1; ἡπάτιον Aristophon. 2; θραττίδιον Anaxandr. 27; ἰχθύδιον Anaxilas 19; καριδάριον Anaxandr. 27; κογχίον Antiphan. 71; κρεάδιον Alexis 27; κυνίδιον Ar. Ach. 542; κωβίδιον Anaxandr. 27; κωθάριον Anaxandr. 27; λαβράκιον Antiphan. 222; λαγῴδιον Ar. Ach. 520; μοσχίδιον Ar. Ach. 996; μοσχίον Ephipp. 15; νεόττιον Menandr. 42; νηττάριον Menandr. 1041; νηττίον Nicostrat. 6; ὀνάριον Diphil. 89; ὀρνιθάριον Anaxandr. 41; ὀρνίθιον Alciphr. frg. 6; περιστέριον Anaxandr. 7; περκίδιον Anaxandr. 27; πουλυπόδειον Ephipp. 12; προβάτιον Menandr. 319; πτερύγιον Alexis 84; ῥυγχίον Ar. Ach. 744; σαρκίον Diphil. 14; σηπίδιον Eubul. 110; σκυλάκιον Alciphr. III, 9; σπινίδιον Eubul. 123; σπλαγχνίδιον Diphil. 14; στρουθάριον Eubul. 123; στρουθίον Anaxandr. 7; τευθίδιον Eubul. 110; τριχίδιον Alexis 155; φάττιον Ephipp. 15; χοιρίδιον Ar. Ach. 830; χοιρίον Ar. Ach. 747; χοιρίσκος Luc. 7; ψηττάριον Anaxandr. 27; ᾠάριον Anaxandr. 77.

5. Plantarum fructuumque nomina deminutiva haec exstant:

fabula, Stich. 690: Hoc convivium Pro opibus nostris satis commodulumst nucibus, fabulis, ficulis.

feniculum, Pseud. 814: Intendunt coriandrum, feniculum, alium, atrum holus. Qua de voce, num sit deminutiva, dubito.

ficula, Stich. 690 (vide s. v. fabula).

intubulus vel intubulum, Stich. 691: Oleis, intubulo.

lupillus vel lupillum, Stich. 691: lupillo comminuto.

molluscus, Calc. frg. (Winterus l. c. p. 29) molluscam nucem Super eius dixit impendere tegulas. Quam vocem deminutivis tribuendam esse Kesslerus (l. l. p. 26) iudicat.

paniculus, Mil. 18: Quasi ventus folia aut paniculum tectorium (scil. difflat); quem locum Ritschelius restituit.

surpiculus vel scirpiculus, Capt. 815: Eis (scil. piscatoribus) ego ora verberabo surpiculis piscariis, Ut sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.

villum. Ter. Adelph. 786: interea in angulum Aliquo abeam atque edormiscam hoc villi. Sic agam.

Apud Comicos et Catullum: flosculus Cat. 24, 1; helvella (eluella) Titin. 163; lapathium Pompon. 169; ramulus, Cat. 61, 22; rapulum Titin. 163; veprecula Pompon. 130.

Apud Graecos: *ἀμπέλιον,* Ar. Ach. 512; *βοτάνιον,* Antiphan. 142; *βοτρύδιον,* Alexis 172; *γηθυλλίς,* Eubul. 89; *ἐλᾴδιον,* Sotades; *χλωνίον,* Alciphr. frg. 6; *κοράλλιον,* Alc. I, 39; *κραμβίδιον,* Antiphan. 6; *λήδιον,* Menandr. 1028; *οἰνάριον,* Antiphan. 134; *οἰνίσκος,* Eubul. 131; *παλάθιον,* Alc. III, 20; *ῥίζιον,* Antiphan. 45; *σίδιον,* Alc. III, 60; *σκορόδιον,* Antiphan. 62.

6. Deminutiva ad sexum virilem vel femininum pertinent haece:

adulescentula, Epid. 43: Scies, quia forma lepida et liberali captivam adulescentulam De praeda mercatust. Mil. 789: Habeo eccillam meam cluentam, meretricem adulescentulam. Rud. 416: Salve, adulescens. — Et tu multum salveto, adulescentula. Ter. Audr. 118: interea inter mulieres, Quae ibi aderant, forte unam aspicio adulescentulam. Heaut. 602: ea mortuast: reliquit filiam adulescentulam; ibid. 654: Quam Bacchis secum adduxit adulescentulam.

adulescentulus. E duodecim locis Plautinis et viginti duobus Terentianis hos affero:[1]) Bacch. 88: inlecebrosius Fieri nil potest: nox, mulier, vinum homini adulescentulo. Pseud. 871: Item ut Medea Peliam concoxit senem, Quem medicamento et suis venenis dicitur Fecisse rursus ex sene adulescentulum; Item ego te faciam. Ter. Hec. 618: odiosa haec est aetas adulescentulis. Eun. 686: Ad nos deductus hodiest adulescentulus, Quem tu videre vero velles, Phaedria. Saepe ipsi senes vocantur adulescentuli.

amatorculus, Poen. 236: Nam cum sedulo munditer nos habemus, Vix aegreque amatorculos invenimus.

---

[1]) Confer Indices.

ancillula. Et haec vox passim invenitur, exstat exempli gratia in Curc. 43: Sed ita, ut occepi dicere, ei ancillulast. Mil. 794: sed ecqua ancill[ul]ast illi? — Est prime cata. — ita praecipito mulieri atque ancillulae. Rud. 74: Illa autem virgo atque altera itidem ancillula De navi timidae desuluerunt cf. Ter. Eun. 166 . . ubi mi dixti, cupere te ex Aethiopia ancillulam, Phorm. 665: Uxori emunda ancillulast.

anicula, Inc. fab. frg. IV (Winter. p. 63) me vellem verti In anginam, quo huic aniculae fauces praeoccuparem. Ter. Andr. 231: inportunitatem spectate aniculae. Phorm. 98: Neque notus neque cognatus extra unam aniculam Quisquam aderat, qui adiutaret funus.

filiola, Cist. II, 3, 29 (307): Istanc, quam quaeris, ego amicae meae Dedi, quae educaret eam pro filiola sua; ibid. IV, I, 13 (398): Crepundia haec sunt quibuscum tu extulisti nostram filiolam ad necem. Rud. prol. 39: Huic (Daemoni) filiola ultro virgo periit parvola; ibid. 106: Filiolam ego unam habui, heu eam unam perdidi.

filiolus, Capt. 876: Qui tibi subrupuit quadrimum puerum filiolum tuom. Truc. 640; Postquam filiolum peperit, animos sustulit (Camerarius correxit e filior B, Filiorū D, Filium L Z). ibid. 805: Supposivit. — Quoi? — Sibi. — Pro filiolon? — Pro filiolo.

fraterculo, Frivol. frg. VIII: tunc papillae primulum Sororiabant; illud volui dicere, fraterculabant.

gravastellus, Epid. 620: Sed quis haec est muliercula et ille gravastellus qui venit? Codices quam maxime discrepant hoc loco, quod inde profectum est, quod iam apud veteres duplex exstitit scriptura ravistellus et gravastellus (cf. Paul. Fest. p. 96 et 273). Descendit a γραῦς (cf. Goetzii in Epidicum praefatio p. XXIV) accedit -aster terminatio; similis formationis sunt patraster C. I. L. X, 3013, filiaster C. I. L. X Index; filiastra, matrastra, peditaster; deminutive grav-aster-lus, ut pedit-aster-lus (cf. Woelffl. Arch. 8, 372).

homunculus, Capt. prol. 51: Homunculi quanti sunt quom recogito! Rud. 155: Homunculi quanti estis! eiecti ut natant!

Trin. 491: deos decent opulentiae Et factiones, verum nos homunculi Sitellum animai.

lenullus, Poen. 471: Ita ut occepi dicere, Lenulle, de illac pugna.

lenunculus, Poen. 1286: Aere militari tetigero lenunculum.

masculus, Cist. IV, 2, 40 (443) qui locus a communi verborum more discedit et eo notabilior est, quia non femina sed mas vox deminuta est, feminae autem deminutivum femella Catullus primus formavit. Romani enim femina vocem cum mas coniungere solebant. Cuius rei testimonia afferri possunt loci Ciceroniani hi:

de nat. deor. I, 34, 95: Nam quod et *mares* deos *feminas* esse dicitis, quid sequatur videtis. ibid. II, 51, 128: Nam primum aliae *mares,* aliae *feminae* sunt, quod perpetuitatis caussa machinata natura est. Deinde partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum aptissimae et in *mare* et in *femina* commiscendorum corporum mirae libidines. de divin. I, 18, 36: si *marem* emisisset . . . . si *feminam* . . . (de anguibus). ibid. II, 29, 62: *feminae* angues, *mares* angues. de leg. II, 12, 29: quibus hostiis immolandum quoique deo . . . quoi *maribus,* quoi *feminis.*

Deinde Caesar in bell. Gall. VI, 26 hoc scribit: Eadem est *feminae marisque* natura [bovis].

Livius XXVII, 11, 4: et Sinuessae natum ambiguo inter *marem* ac *feminam* sexu infantem, quos androgynos volgus . . . appellat. Plinius nat. hist. XVI, 14, 25: in tilia *mas* et *femina* differunt. Idem efficitur loco Ciceroniano qui est de har. resp. 27, 57: occulta et *maribus* non invisa solum, sed etiam inaudita sacra inexpiabili scelere pervertit idemque earum templum inflammavit dearum, quarum ope etiam aliis incendiis subvenitur. Confer praeterea Catull. 16, 13, Tac. Hist. II, 3.

Cum hac regula praeter quem attuli locum Plautinum pugnat Livii hic XXXI, 12, 6: In Sabinis incertus infans natus *masculus* an *femina* esset: alter sexdecim iam annorum item ambiguo sexu inventus, et Vitruvii IX, 9, 11: in eo autem minus tympanum inclutatur cardinibus ex torno

masculo et *femina* inter se coartatis. Huc accedit locus Varronis quem Nonius Marcellus I p. 204 his verbis affert: masculum pro forti ac vehementi. Varra Ὄνος λύρας: si [non] plus testiculorum offenderis quam in castrato pecore in Apulia, vincor non desse *masculum* ad rem vigorem (cf. Menippearum Varronis reliquias frg. 369 a Buechelero editas.) Quos locos si inter se comparamus, apparere videtur, hunc usum vocis hypocoristicum sermonis cottidiani proprium fuisse, unde Varronem, Vitruvium multa, Livium pauca adsumpsisse constat.

Aliter iudicandum est de usu vocabuli *masculus,* qualis inde ab Augusti aetate apud poetas obtinet. Qui cum hanc notionem etiam iis rebus adhibere cuperent, quae nominibus femininis et neutralibus designantur, vocabulum autem *mas* tantummodo masculini generis esset, adiectivum *masculus* adsumpserunt et hoc nominibus femininis et neutralibus, *mas* vero masculinis adiungebant. Ita *mas* invenitur apud Plaut. Poen. 1311: *mares* homines; Hor. Sat. II, 4, 14: namque *marem* cohibet callosa vitellum; Epist. I, 1, 64: Roscia, dic sodes, melior lex an puerorumst nenia, quae regnum recte facientibus offert, et *maribus* Curiis et decantata Camillis; Ars poet. 402: Homerus Tyrtaeusque *maris* animos in Martia bella versibus exacuit. Ovid. Fast. IV, 101. Cum *mare* trux aries cornu decertat. Pers. 6, 4: atque *marem* strepitum fidis intendisse latinae. Contra *masculus* vox exstat: Verg. Ecl. 8, 65: verbenas adole pinguis et *mascula* tura, Hor. Epod. 5, 41: non defuisse *masculae* libidinis Ariminensem Foliam. Od. III, 6, 37: Sed rusticorum *mascula* militum proles, Epist. I, 19, 28: temperat Archilochi musam pede *mascula* Sappho. Ovid. medic. fac. 94: Cumque Ammoniaco *mascula* tura sale. Pers. 5, 144: calido sub pectore *mascula* bilis Intumuit. Plin. XII, 14, 32: Quod ex eo rotunditate guttae pependit, *masculum* vocamus, cum alias non fere mas vocetur, ubi non sit femina religioni tributum ne sexus alter usurparetur. Masculum aliqui putant a specie testium dictum. Mart. XI, 43, 11: Parce tuis igitur dare *mascula* nomina rebus, ibid. XIV, 88, 2: Femineam nobis cherson si credis inesse Deciperis: pelagi *mascula* praeda sumus.

Locus vero Ov. Fast. IV, 741 (Ure *mares* oleas) ab illa quam proposui regula abhorret itemque Martialis XIV, 174: (*Masculus* intravit fontes, emersit utrumque. Pars est una patris, cetera matris habet) qui ad usum, quem supra descripsi, sermonis cottidiani propius accedit.

Quod vero a grammaticis ad genus grammaticum designandum masculus et masculinus adhibetur, eodemne referendum sit quo ille poetarum usus, an repetendum ex sermone puerili ad hypocoristicum dicendi genus prompto, non diiudicaverim, sed non inutile videtur locos quosdam ex vulgata librorum sacrorum versione afferre, qui loci Plautini sat sunt similes.

Gen. XXXI, 10—12 vidi in somnis ascendentes *mares* super feminas . . . vide universos *masculos* ascendentes super feminas. Exod. I, 16: si *masculus* fuerit, interficite eum, si femina, reservate 17. sed [obstetrices] conservabant *mares*. Lev. XII, 2—7: Mulier si suscepto semine pepererit *masculum*, immunda erit septem diebus . . . . sin autem feminam . . duabus hebdomatibus . . . ista est lex parientis *masculum* aut feminam. Num V, 3 tam *masculum* quam feminam eiicite de castris. Deut IV, 16 ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem *masculi* vel feminae. Ep. ad. Gal. III 28 non est servus, neque liber: non est *masculus* neque femina.

Et apud ecclesiasticos scriptores *masculofemina* exstat, quam vocem e Graeco *ἀνδρόγυνος* transferentes formari ausi sunt.

matercula quam vocem Prisc. Inst. III, 29 affert e Cistellaria: Tunc tu igitur, mea matercula. Praeter formam matercula etiam brevior quaedam *materca exstitisse videtur, si quidem recte Brealius (Soc. de linguist. 3 p. 341) coniectavit, vocabulum noverca ad exemplum vocabuli *materca in lingua infantium effictum esse. (cf. Delb. l. c. p. 471).

meretricula, Rud. 63: Conscendit in navem, avehit meretriculas. Truc. 309: Non enim illic meretriculis moeniendis rem coegit.

mulier cula: Duodecim huius vocis exempla afferre possum, quorum haec nomino: Cist. I, 2, 12 (132): Is adulescens amore misere hanc deperit mulierculam. Pseud. 675: Quomodo quicque agerem, ut lenoni surruperem mulierculam. Ter. Heaut. 444: potius quam paterere filium Commetare ad mulierculam . . . Proterruisti hinc. Phorm. 1017: Vinolentus fere abhinc annos quindecim mulierculam Eam compressit, unde haec natast. — Nusquam matrona aut uxor hac voce appellantur, sed omnino meretrices.[1])

nepotulus, Mil. 1413: te salvum hinc amittemus Venerium nepotulum. ibid. 1421: Ut ted hinc amittamus Venerium nepotulum.

peditastellus, Mil. 54: At peditastelli quia erant, sivi viverent.

persolla, Curc. 192: Ebriola's persolla, nugae.

puellula, apud Plautum nonnisi Cas. 41 per coniecturam exstat: Sed abhinc annos factumst sedecim. Quom conspicatust primulo crepusculo Puellulam exponi. Quamquam veri similis non est Brugmani coniectura, cum omnes codices una cum Servio (in Verg. Aen. X, 615) puellam praebeant, tamen negari non potest usus vocabuli quod habes exempli gratia in Ter. Phorm. 81: hic Phaedria Continuo quandam nactus est puellulam Citharistriam: hanc amare coepit perdite. Et Pompon. 65: [Ei] perii! non puellula est; numquid [nam] abcondidisti Inter nates?

puellus, Gem. len. frg. (Wint. p. 39): Dolet huic puello sese venum ducier. — Puellus pro puer etiam apud Ennium occurrit.

putillus, Asin. 694: Dic igitur med anaticulam, columbam vel catellum, Hirundinem, monerulam, passerculum, putillum.

servola, Poen. 1094: Ei (lenoni) duae puellae sunt meretrices servolae Sorores.

servolicola, Poen. 267: an te ibi vis inter istas vorsarier Miseras, schoeno delibutas, servolicolas sordidas?

---

[1]) Confer Indices.

servolus. Non in textu ipso fabularum solum, sed etiam in argumentis haec vox occurrit, quorum locos non afferam, cum temporis posterioris sint. Habeas haec exempla Amph. 987: Nam mihi quidem hercle qui minus liceat deo minitarier Populo, ni decedat mihi, quam servolo in comoediis? Men. 339: morem hunc meretrices habent: Ad portum mittunt servolos, ancillulas. Ter. Andr. 83: observabam mane illorum servolos Venientis aut abeuntis.

sororcula apud Prisc. Inst. III, 30 quem locum aliunde non cognitum affert e Cistellaria: germana mea sororcula.

uxorcula, Cas. 844: Mea uxorcula quae res? ibid. 917: Amabo mea uxorcla, inquam, Cur tuom virum sic spernis?

uxorculo, Sitellit. frg. I (Wint. p. 47). Mulieres uxorculavit, ego novi, scio axitiosam. Confer tamen Loewii Prodr. p. 280, adn. 1.

Praetera offerunt puerulus Inc. inc. fab. 95; femella Catull. 55, 7; pupula, Catull. 63, 56, pupulus Catull. 56, 5; scortillum Catull. 10, 3.

Graeci praebent haec: *ἀνδραπόδιον*, Diphil. 80; *ἀνδράριον*, Ar. Ach. 517; *ἀνθρώπιον*, Eur. Cycl. 183; *ἀνθρωπίσκος*, Eur. Cycl. 314; *ἀπφάριον*, Xenarch. 2; *Βοιωτίδιον*, Ar. Ach. 872; *βρεφύλλιον*, Luc. 9; *γερόντιον*, Ar. Ach. 993; *γύναιον*, Alc. III, 50; *δεσποτίσκος*, Eur. Cycl. 265; *θεραπαινίδιον*, Alc. I, 35; *θυγάτριον*, Xenarch. 12; *κοράσιον*, Philippid. 36; *κορίον*, Ar. Ach. 731; *κορίσκη*, Timocl. 22; *μαννάριον*, Luc. 6; *μειράκιον*, Diphil. 43; *μειρακίσκος*, Alexis 36; *μειρακύλλιον*, Anaxandr. 33; *νεανίσκος*, Alexis 111; *ξενύδριον*, Menandr. 462; *παιδάριον*, Alexis 209; *παιδίον*, Ar. Ach. 132; *παιδισκάριον*, Menandr. 338; *παιδίσκη*, Ar. Ach. 1148; *παιδίσκος*, Herond. 3; *πατρίδιον*, Xenarch. 2; *πορνίδιον*, Antiphan. 239.

7. Praeter haec multa alia enumeranda sunt deminutiva, quae, quamquam ad varia genera pertinent, propter vocabulorum varietatem singulorum tamen in uno conspectu ponere liceat. Substantiva sunt afferenda haec:

adsentatiuncula, Stich. 226: Nemo meliores dabit Cavillationes, adsentatiunculas.

aedicula, Epid. 402: In aediculam istanc seorsum concludi volo: Divortunt mores virgini longe ac lupae.

aediculae, Rud. 282: Sed haec pauperes res sunt inopesque aediculae; quo loco libri omnes puellae praebent, quod Schoellius correxit. Ter. Phorm. 663: Aediculae item sunt ob decem alias (minas oppositae pignori).

aerumnula: cuius vocis quae Inc. fab. frg. V. (Winter. p. 64) exstat mentionem feci p. 29.

agellus, Ad. 949: Agelli est hic sub urbe paulum quod locitas foras.

aquola, Curc. 160: Mane suffundam aquolam; Cist. II, 2, 38 (316) Obsipat aquolam.

aratiuncula, Truc. 148: nunc vicissim Volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.

cellula, Eun. 310: Quom in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.

crustulum, Stich. 691: Hoc convivium satis commodulumst lupillo comminuto, crustulo.

diecula, Pseud. 503: Illud erat praesens, huic erant dieculae. Ter. Andr. 710: Eho tu inpudens, non satis habes, quod tibi dieculam addo?

fenusculum, Pseud. 287: Si amabas, invenires mutuom: Ad danistam devenires, adderes fenusculum.

formula, Pers. 229: Temperi hanc vigilare oportet formulam atque aetatulam.

guttula, Epid. 554: A, guttula Pectus ardens mi adspersisti.

horiola, Trin. 942: Eho, An etiam in caelum escendisti? — Immo horiola advecti sumus Usque aqua adversa per amnem.

ioculus, Most. 911: Egone te ioculo modo ausim dicto aut facto fallere? Merc. 993: Si hercle scivissem, sive adeo ioculo dixisset mihi Se illam amare. Rud. 729: Nunc adeo meam ut scias sententiam Occipito modo illis adferre vim ioculo pausillulum. Stich. 23: ioculo istaec dicit. Truc. 107:

Per ioculum et ludum. ibid. 103 Schoellius ioculum vocem pro oculum quod offerunt libri scribit.

libella, Capt. 947: Vobis invitis atque amborum ingratiis Una libella liber possum fieri. Pseud. 98: Quid ni fleam, Quoi nec . . . Neque libellai spes sit usquam gentium? ibid. 629: Tibi libellam argenti numquam credam; ibid. 1146: Quom libella nusquamst.

loculus, Cas. 447: At candidatus cedit hic mastigia, stimulorum loculi. Mil. 853: Sed in cella erat non nimium loculi lubrici. Stich. 620: Tantillum loculi, ubi catellus cubet; id mihi sat erit loci.

munusculum, Truc. 425: Non audes aliquid, mi anime, dare munusculi? Camerarius munusculum, Brixius munusculi restituit e munuscivilim B, munus civilium C D L Z codd.

murmurillum, Rud. 1404: Palam age, nolo ego murmurillum neque susurrum fieri.

occasiuncula, Trin. 974: Nimis argute me obrepsisti in eapse occasiuncula.

perieratiuncula, Stich. 227: Nemo meliores dabit . . . Perieratiunculas parasiticas.

posticulum, Trin. 194: Posticulum hoc recepit, quom aedis vendidit; ibid. 1085: Hic in hoc posticulo.

pulvisculus, Rud. 845: Convorret iam hic me totum cum pulvisculo. Truc. 19: Ea (Phronesium meretrix) se peperisse puerum simulat militi, Quo citius rem ab eo avorrat cum pulvisculo. ibid. 557: Metuit pulvisculos: unus mundissimust.

ratiuncula, Capt. 192: Ibo intro atque intus subducam ratiunculam, Quantillum argenti mi apud tarpezitam siet. Curc. 371: Beatus videor, subduxi ratiunculam. Ter. Phorm. 36: erat ei de ratiuncula Jam pridem apud me relicuom pauxillulum Nummorum.

sacellum, Adelph. 576: Est ad hanc manum sacellum.

scintillula, Trin. 492: Sic Ritschelius: Sitellum animai, quam quom extemplo emisimus... adnotans: valde dubitanter, quando aliquid tamen ponendum erat; quod ‚aliquid' Fritz-

schius se reperisse putat scribens scintilla vel scintillula. Sic codices: Satillum A, Salillum vel Sal illû B C D, tantillum F.

scrupulus, Andr. 940; At mi unus scrupulus etiam restat, qui me male habet; Phorm. 954: Inieci scrupulum; ibid. 1019: qui fuit in re hac scrupulus; Adelph. 228: Timet: Inieci scrupulum homini.

specula, Pers. 310: Ecquid, quod mandavi tibi, in te speculaest?

turbellae, Bacch. 1057: Tantas turbellas facio. Pseud. 110: Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra, Quo pacto et quantas soleam turbel(l)as dare.

tusculum, Aulul. 385: Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas.

ventulus, Curc. 316: Nolo equidem mihi fieri ventulum. Eun. 595: Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito.

verculum, Cas. 837: Meum corculum, melculum, verculum.

Accedunt cantiuncula Pompon. 118; codicillus Catull. 42, 11; epistolium (*ἐπιστόλιον*) Catull. 68ᵃ, 2; hortulus Catull. 61, 92; lapillus Catull. 23, 21; lucellum Catull. 28, 6; lucunculus Afran. 162; ponticulus Catull. 17, 3; sarcinula Catull. 28, 2; solaciolum Catull. 2, 7; taxillus Pompon. 190; tuguriolum, Caec. Stat. 82; versiculus Catull. 16, 3; villula Catull. 26, 1.

ἀγρίδιον, Alciphr. II, 4; *ἀνθράκιον*, Alexis 134; *βιβλίδιον*, Alc. I, 34; *βόθριον*, Alc. III, 13; *βυβλίδιον*, Antiphan. 162; *γνωμίδιον*, Alc. III, 22; *γραμματείδιον*, Menandr. 327; *γραμμάτιον*, Lucian. 10; *δειπνάριον*, Diphil. 64; *δωμάτιον*, Eubul. 104; *ἐγχειρίδιον*, Menandr. 20; *ἐμβαμμάτιον*, Anaxipp. 1; *ἐπύλλιον*, Ar. Ach. 398; *ἐρυμάτιον*, Luc. 9; *ἱμάντιον*, Alc. III, 9; *καλύβιον*, Alc. I, 1; *κηπίον*, Alc. I, 39; *κλιμάκιον*, Aristophon. 4; *κλυδώνιον*, Alc. III, 1; *κομμάτιον*, Alc. I, 1; *κρωμακίσκος*, Antiphan. 217; *κτημάτιον*, Alc. I, 36; *λιθίδιον*, Alc. III, 20; *λογάριον*, Theognet. 1; *μελίσκιον*, Antiphan. 207; *μετοίκιον*, Menandr. 35; *μισθάριον*, Diphil. 43; *μισθωμάτιον*, Alc. I, 36; *μυαδάριον*, Diphil. 21; *οἰκίον*, Herond. 2; *οἰκίσκος*, Alc. I, 25; *ὀψάριον*, Anaxilas 28; *πεμμάτιον*, Alc. frg. 6; *περικομμάτιον*, Alexis 132; *πετρίδιον*, Alc. frg. 6; *πινάκιον*,

Alc. III, 59; *πιναχίσχιον,* Antiphan. 55; *πιναχίσχος,* Epigen. 1; *πλεχτάνιον,* Eubul. 110; *πνευμάτιον,* Damoxen. 2; *πραγμάτιον,* Epinic. 1; *προβουλευμάτιον,* Alc. III, 22; *πυρίδιον,* Alc. frg. 6; *ῥημάτιον,* Ar. Ach. 444; *ῥοίδιον,* Menandr. 146; *σιτάριον,* Philem. 98; *σχευάριον,* Diphil. 19; *στεάτιον,* Alexis 84; *στεγύλλιον,* Herond. 7; *στιχίδιον,* Alc. III, 56; *τεχνίον,* Antidotos 2; *τριμμάτιον,* Sotad. 1; *χαρτίδιον,* Alc. I, 26; *χηνίσχος,* Eubul. 15; *χορδάριον,* Alexis 132; *χυμίον,* Sotad. 1.

8. Adiectiva exstant haec:

aliquantillulus, Capt. 137: Neque umquam quicquam me iuvat quod edo domi: Foris aliquantillulum etiam quod gusto id beat. Emendavit locum Spengelius; codices aliquantillum, aliquantulum praebent.

argenteolus, Rud. 1169: Postid ensicula argenteola(est).

aureolus, Epid. 640: Anellum aureolum in digitulum. Rud. 1156. Ensiculust aureolus primum litteratus. In Catulli quoque carmine 61, 167 exstat: Transfer omine cum bono limen aureolos pedes.

bellus quae vox usitatissima est. Nam non solum sermoni cottidiano et vulgari propria est (ut Plauti exempla docent) sed etiam oratores graves eam usurpaverunt ubi de rebus minutulis agebant. Cuiusmodi exempla in Cic. de orat. libello invenies exempli gratia I, 247: Nam ipsum quidem illud, etiam sine cognitione iuris, quam sit bellum cavere malum, scire possumus, 255: subsidium enim bellissimum existimo esse senectuti otium. Plautus igitur hoc usus est vocabulo in Aulul. 285: Bellum et pudicum vero prostibulum popli. Asin. 676: Ei sane, bella, belle. Capt. 956: Fui ego bellus, lepidus: bonus vir numquam neque frugi bonae Neque ero. Cas. 108: Bellam et tenellam Casinam, conservam tuam . . Et *bellissimus* exstat Curc. 20: Bellissimum hercle vidi et taciturnissimum (ostium). Merc. 688: Illam esse amicam tui viri bellissimi. ibid. 825: Tuos pater bellissimus. Ter. Adelph. 590: unum quicquid, quod quidem erit bellissimum, Carpam. Bellus vocis autem deminutivum:

bellulus exstat Cas. 848: Edepol papillam bellulam et Mil. 989: Edepol haec quidem bellulast.

belliatus, Rud. 643: Em tibi aqua, mea tu belliata.

belliatulus vel *bellatulus:* Cas. 854; I belle bell(i)atula.

blandiloquentulus, Trin. 239: (Amor) Blandiloquentulust, harpago, mendax, cuppes e. q. s.

breviculus, Merc. 639: Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum.

commodulus, Stich. 690: Hoc convivium Pro opibus nostris satis commodulumst.

dicaculus, Asin. 517: Satis dicacula's amatrix. Et Apul. Met. III, 13: Non enim laeta facie nec sermone dicaculo, sed vultuosam frontem rugis insurgentibus adservabat.

dulciculus, Poen. 390: huius colustra, huius dulciculus caseus.

ebriolus, Curc. 192: Ebriola's persolla, nugae. ibid. 294: Tristes atque ebrioli abscedunt.

grandiculus, Ter. Andr. 814: nam fere Grandicula iam profectast illinc.

horridulus, Pseud. 68: Papillarum horridularum oppressiunculae.

melliculus, Cas. 843: Corpusculum melliculum (nisi cum A codd. malacum legendum est.)

mendiculus, Epid. 223: an regillam induculam an mendiculam?

minutulus, Poen. 28: Nutrices pueros infantis minutulos Domi procurent neve spectatum adferant.

misellus, Rud. 550: Eheu redactus sum . . . ad hoc misellum pallium.

molliculus, Cas. 492: Molliculas escas, ut ipsa molliculast. Poen. 367: meus molliculus caseus.

mundulus, Truc. 658: Nunc ego pol istos mundulos amasios Hoc ictu exponam atque omnis eiciam foras. cf. Diomedem p. 343, 11 K: ‚stos mundulos amasios' quem locum alterius recensionis esse Buechelerus vidit.

parvolus, Capt. 982: tibi quadrimulum Tuos pater pecu-

liarem parvolo puero dedit. Pseud. 783: Eheu, quom illi rei ego etiam nunc sum parvolus. Poen. 1346: Eae sunt subruptae cum nutrice parvolae. Ter. Andr. 35: Ego postquam te emi, a parvolo ut semper tibi Apud me iusta et clemens fuerit servitus, Scis. Eun. 524: Nisi si illa forte quae olim periit parvola, Eam sese intendit esse, utist audacia.

patellarius, Cist. II, 1, 55. (258): Di me omnes magni minutique et patellarii Faxint ne e. q. s.

pauculi, Epid. 460: Volo te verbis pauculis. Heaut. 828: loquitor paucula. Hec. 143: Diebus sane pauculis Post Pamphilus me solum seducit foras.

paululus, Curc. 123: Venus de paulo paululum hoc tibi dabo haud lubenter. Bacch. 865: Pacisci cum illo paulula pecunia Potes. Ter. Adelph. 779: Est alius quidam, parasitaster paululus.

pauperculus, Aulul. 171: Novisti hunc senem Euclionem ex proxumo pauperculum? Epid. 540: Certo east, quam in Epidauro memini me pauperculam comprimere. Pers. 345: Quamquam res nostrae sunt, pater, pauperculae. Heaut. 96: Est e Corintho hic advena anus paupercula. Adelph. 647: Habitant hic quaedam mulieres pauperculae.

pauxillus, Aulul. 112: Nam veri simile non est, hominem pauperem Pauxillum parvi facere. Capt. 176 sq.: Facete dictum: sed si pauxillo potes Contentus esse. — Ne perpauxillo modo.

Et *pausillus* vox exstat in Stich. 175: Gelasimo nomen mi indidit parvo pater, Quia iam a pausillo puero ridiculus fui.

pauxillulus, Merc. 193: lembo advehitur tuos pater pauxillulo. Pseud. 706: In libello hoc opsignato huc attuli pauxillulo. Phorm. 37: erat ei de ratiuncula Iam pridem apud me relicuom pauxillulum Nummorum.

pausillulus, Stich. 163: Ego non pausillulam in utero gesto famem, verum hercle multo maxumam et gravissumam.

pusillus, Truc. 868: Cogitato mus pusillus quam sit sapiens bestia.

quadrimulus, Capt. 981: Nam tibi quadrimulum Tuos pater peculiarem parvolo puero dedit. Poen. 85: Carthaginiensi duae fuere filiae, Altera quinquennis, altera quadrimula.

quantillus, Pseud. 1192: quantillo argento te conduxit Pseudolus? Poen. 1167: Quantae e quantillis iam sunt factae. Truc. 637: Quantillo mi opere nunc persuaderi potest.

rallus, Epid. 230: Tunicam rallam, tunicam spissam. — Quod vocabulum a quibusdam a rado derivatur, id quod veri dissimile est, nam respondet alteri vocabulo spissa, quod est contrarium rallus vocis; et poetam saepe verbis ludere iam supra demonstravi. Recte enim Nonius p. 539, 15 hunc versum afferens Epidici scribit: Ralla, vestis dicta a raritate.

regillus, Epid. 223: An regillam induculam aut mendiculam (scil. induta erat)?

rullus, Most. 40: Libri sic versum praebent: Germana inluvies, † rusticus, hircus, hara suis. Pers. 169: Nimis tandem me quidem pro barda et pro rustica reor habitam esse abs te. Usenerus utrumque locum restituit vocem *rullus* scribens. Jam Ritschelius viderat glossema inesse Mostellariae loco cf. Mus. Rhen. tom. XXIV p. 331. Quod locum Persae attinet, scripsit blenna ,exempli causa: pro quo tamen aliud indagandum'; quod feliciter indagasse Usenerum (cf. Mus. Rhen. tom. XVII, p. 469) tam ipse postea agnovit, quam Langenius (cf. Stud. Plaut. p. 59). Rullus vocem in Philoxeni glossis invenimus (Corp. Gloss. lat. II, 176, 1.)

Samiolus, Stich. 694: nos nostro Samiolo poterio (bibimus).

scitulus, Rud. 565: Qua sunt facie (mulieres)? — Scitula. ibid. 894: iam cluentas repperi, Atque ambas forma scitula atque aetatula.

sordidulus, Poen. 270: Servolorum sordidulorum scorta diobolaria.

tantulus, Bacch. 209: non tantulum intermittit tempus.

tantillus, Most. 394: Nam intus potate hau tantillo hac quidem causa minus. Poen. 273: tantilla tanta verba fun-

ditat. Ter. Adelph. 563: Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis.

tenellus, Cas. 108: Bellam et tenellam Casinam.

valentulus, Cas. 852: Vah! — Quid negotist? — Obsecro ut valentulast.

venustulus, Asin. 223: Oratione vinnula, venustula.

vesculus, Trin. 888: Est minusculum alterum (scil. nomen) quasi vesculum vinarium. Ritschelius (Prolegg. p. LXXXI) scripsit vesculum, libri praebent vixillum C D, iuxillum B, vasculum F Z.

vetulus, Asin. 340: asinos praedicas Vetulos. Cas. 535: Nunc adeo nequaquam arcessam, ne illis ignavissumis Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus. Epid. 666: Satine illic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos Habet? Merc. 525: Ovem tibi eccillam dabo, natam annos sexaginta Peculiarem. — Mei senex, tam vetulam?

Nonnullae etiam exstant comparativa et superlativa deminutiva, quae sunt:

liquidiusculus, Mil. 665: Liquidiusculusque ero quam ventus est favonius; quem locum Camerarius emendavit.

maiusculus, Poen. 155: At ego hanc vicinam dico Adelphasium meam Lenonis huius meretricem maiusculam. Ter. Eun. 527: Verum ea, si vivit, annos natast sedecim, Non maior: Thaïs, quam ego sum, maiusculast.

meliusculus, Capt. 959: Si eris verax, tua ex re facies **** ex mala meliusculam; ibid. 968: Si eris verax, ex tuis rebus feceris meliusculas; quem versum Schoellius delet. Curc. 489: At tamen meliusculumst monere. Ter. Hec. 354: Salvan Philumenast? — Meliusculast. — Utinam istuc ita di faxint.

minusculus, Poen. 498: Addice tuam mihi meretricem minusculam. Trin. 888: Est minusculum (nomen) alterum.

nitidiusculus, Pseud. 220: Num tuorum conservorum quoipiamst hodie tua opera Nitidiusculum caput?

plusculus, Amph. 283: Credo edepol equidem dormire Solem atque adpotum probe: Mira sunt nisi invitavit sese in cena plusculum. Pers. 21: Plusculum annum Fui apud molas

tribunus vapularis. — Ter. Phorm. 665: tum pluscula Supellectile opus est. Et complusculi vocis exempla occurrunt in Rud. 131 et Ter. Hec. 177.

tardiusculus, Ter. Heaut. 515: Cliniae ille servos tardiusculust.

unctiusculus, Pseud. 221: aut num ipse ego pulmento utor magis unctiusculo?

Accedunt adiectiva quaedam, quae afferam, quamquam dubito, num sint deminutiva; descendunt a stirpe ger-. Sunt enim haec:

gerulus, Bacch. 1003; munerigerulus, Pseud. 181; nugigerulus, Aulul. 525; plagigerulus, Most. 861, Pseud. 153; salutigerulus, Aulul. 502; sandaligerulus, Trin. 252; scutigerulus, Cas. 262; et a stirpe fig- gerulifigulus, Bacch. 381.

9. Accedunt adverbia deminutionis formationem praebentia qualia sunt afferenda:

aliquantulum, Merc. 640: Subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum. Ter. Phorm. 655: Sed mi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler, Aliquantulum quae adferret.

belle, Asin. 676: Ei sane, bella, belle. Cas. 851: At mihi, qui belle hanc tracto, non vallum facit.

bellule, Inc. fab. frg. VI: bellule.

clanculum, Quod occurrit saepius vocabulum in Plauti fabulis quam clam primitivum. Amph. 523: Clanculum omnes abii a legione. Asin. 881: Aucupemus ex insidiis clanculum quam rem gerant. Bacch. 317: Quia Mnesilochus noctu clanculum Devenit ad Theotimum. Ter. Eun. 411: Invidere omnes mihi, Mordere clanculum: ego non flocci pendere. (Aliter de hoc vocabulo iudicat Stowasser Woelffl. Arch. VI, 563.)

commodulum et commodule, Mil. 750: Si certumst tibi, Commodulum obsona. Rud. 468: Commodule melli's: tandem vero serio.

frustillatim, Curc. 576: Nisi mi virgo redditur, Jam ego te faciam ut hic formicae frustillatim differant.

longule, Men. 64: Nam rus, ut ibat forte, ut multum pluerat, Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule. Rud. 266: Ilico hinc imus haud longule ex hoc loco. Ter. Heaut. 239: Non cogitas hinc longule esse?

ossiculatim, Caec. Stat. 50.

paululum, Aulul. 711: Nam ego declinavi paululum me extra viam. Vidul. frg. III, 155 (Wint. p. 54): Multum laboret, paullum mereat, paullum edit. Ter. Phorm. 702: Spatium quidem tandem adparandis nuptiis, Vocandi, sacruficandi dabitur paululum.

pausillatim et pauxillatim, Epid. 248: Coepi rursum ad illas pausillatim accedere. Rud. 929: Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.

pausillisper, Truc. 913: Plus decem pol pondo amoris pausillisper perdidi.

pausillulum et pauxillulum, Bacch. 833: Agedum tu, Artamo, Forem hanc pausillulum aperi. Rud. 729: Occipito modo illis adferre vim ioculo pausillulum. Ter. Phorm. 37: erat ei de ratiuncula . . relicuom pauxillulum nummorum.

pauxillum, Curc. 176: Nam bonumst pauxillum amare sane, insane non bonumst.

placidule, Rud. 426: Non licet te sic placide belle bellam tangere? — E placide voce Fleckeisenus correxit placidule.

singillatim, Trin. 881: Si unum quidquid singillatim et placide percontabere . . . faxo scias.

nitidiuscule, Pseud. 774: Neque amatorem mi invenire ullum queo, Qui amet me, ut curer tandem nitidiuscule.

saepiuscule, Cas. 703: Saepiuscule, ere, peccas. Cod. B sepicule praebet, Prisc. III, 29 et glossarium Plautinum (cf. Ritsch. Opusc. II, 246) saepiuscule.

10. Postremo verba quaedam huc spectantia enumeranda sunt:

ambustulo, Rud. 770: Jam hercle ego te continuo barba arripiam in ignem coniciam Teque ambustulatum obiciam magnis avibus pabulum.

catillo, Cas. 552: operam uxoris polliceor foras Quasi catillatum.

exstillo, Phorm. 975: Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo, Ut ne restinguas, lacrumis si exstillaveris.

furcillo, Pseud. 631: Vae tibi. tu inventu's vero, meam qui furcilles fidem.

iugulo, Stich. 581: Ita mi auctores fuere, ut egomet me hodie iugularem fame. Ter. Eun. 417: papae, Iugularas hominem. Adelph. 958: Suo sibi gladio hunc iugulo.

missiculo, Epid. 132: quod tu mandasti mihi Inpetratumst. empta ancillast, quod tute ad me litteras Missiculabas.

murmurillo, Inc. fab. frg. XLVII (Winter p. 73): quid murmurillas tecum et te discrucias?

occillo, Amph. 183: Ne illi (di) edepol .... Aliquem hominem adlegent qui mihi advenienti os occillet probe. — Dubitari potest num habeat verbum notionem deminutivam; atque mihi quidem ab occo „aufgegrabene Erde klein machen und ebnen“ derivandum videtur; occillare igitur iocose dictum idem significat quod Men. 859: Osse fini dedolabo assulatim viscera.

pandiculor, Men. 834: Ut pandiculans oscitatur. quid nunc faciam, mi pater?

Praeterea exstant: congeniculo Novius 81; conlabello Laber. 2; conscribillo Catull. 25, 11; ebriulatus Laber. 52; fabello Afran. 405; obsatullo Inc. inc. fab. 73; ἐξαπατύλλω Ar. Ach. 657.

Restat, ut investigem, quod me facere temporis angustiae prohibuerunt, num diverbium et canticum, numque singulae personae usu deminutivorum inter se differant. Spero tamen fore, ut aut ali aut mihi his de rebus postea agere contingat.

III.

A. Index

omnium quibus usus est Plautus, deminutiuorum.[1]

A.

adambulo	Bacch. 768.
Adelphasium	Poen. 154.
adsentatiuncula	Stich. 226.
adulescentula	Epid. 43, Mil. 789, Rud. 416.
adulescentulus	Asin. 812, Capt. 874, Cist. I., 3, 10, Bacch. 88, Mil. 264, 367, 390, 634. Pseud. 871, Poen. 115, Stich. 571, Trin. 366.
aedicula	Epid. 402, Rud. 282*.
aerumnula	Inc. fab. fragm. V.
aetatula (p. 23)[2]	Cas. 47 *, Cist. I, 1,50, Most. 208, Pseud. 173, Pers. 229, Rud. 894.
agnellus	Asin. 667.
albicapillus	Mil. 631.
aliquantillulum	Capt. 137*.
aliquantulum	Merc. 640.
amatorculus	Poen. 236.
ambulacrum	Most. 742, 804.
ambulo	Asin. 108, 427, 488, Amph. 124, 341, Capt. 12, 114, 452, 900, Curc. 220, 240, 288, 475, 621, 625, Cas. 526, 768, Epid. 377, Bacch. 820, 896, Most. 436, 840, Men. 706, Mil. 251,

[1]) Coniecturas stellula addita notavi.

[2]) Iis deminutivis, de quibus accuratius actum est, paginam adnotavi.

	272, 936, Merc. 97, 327, 942, Pseud. 920, Poen. 717, Pers. 50, 250, 308, 745, 750, Rud. 7, 860, Stich. 113, Trin. 1108, Truc. 369, 527.
ambustulo	Rud. 770.
ampulla	Merc. 927, Pers. 124, Stich. 228.
ampullarius	Rud. 756*.
anaticula	Asin. 693.
ancilla (p. 12)	Aul. 501, Asin. 184, 804, 868, 888, Amph. 1049, Curc. 580, 616, Cas. 254, 261, 521, 646, 651, 656, Epid. 131, Bacch. 45, Men. 120, 797, 801*, Mil. 910, 960, 1410, Merc. 201, 211, 261, 350, 390, 396, 414, 427, 975, Poen 222, 1130, Pers. 341, 472, Rud. 712, 719, 723, Stich. 238, 432, Trin. 799, Truc. 53, 401, 530, 533, 633, 771, 772, 946*, Corn. frg. V.
ancillula	Curc. 43, cas. 193, Men. 339, Mil. 794*, 795, 912, 987, 1133, Rud. 74, Truc. 93.
anellus	Epid. 640.
anguilla	Pseud. 747, Inc. fab. fragm. XXI.
anicula	Inc. fab. fragm. IV.
animulus	Curc. 98*, Cas. 134, Men. 361, Mil. 771, 797.
anulatus	Poen. 981.
anulus	Asin. 778, Curc. 346, 360, 584 (bis), 595, 601, 629, 653, Cas. 144, 710, Bacch. 327, 328, Mil. 912, 931, 960, 988, 1049, Pseud. 56, Pers. 572, Truc. 274, Vid. fragm. XII.
aquola	Curc. 160, Cist. II, 3, 38.
aratiuncula	Truc. 148.
arcula	Most. 238.
arcularius	Aul. 519.
argenteolus	Rud. 1169.
ariolor vide hariolor etc.	
armariolum	Truc. 55.
armilla	Men. 536, Truc. 272*.

articulatim	Epid. 488.
articulus	Men. 140.
asellus	Aul. 229.
assula (p. 18)	Merc. 129.
assulatim	Capt. 832, Men. 859.
aureolus	Epid. 640, Rud. 1156.
auricula	Asin. 668, Poen. 375.
ausculor, ausculum	vide osculor etc.
avonculus (p. 12)	Aul. 35, 685, 778, 782, 799.

B.

batiola (p. 13)	Col. fragm. I.
bellaria	Truc. 480.
belle	Asin. 676, Curc. 375*, 521, Cas. 851, 854, Rud. 426, Truc. 290.
bell(i)atulus	Cas. 854.
belliatus	Rud. 463.
bellissimus	Curc. 20, Merc. 688, 825.
bellule	Inc. fab. fragm. VI.
bellulus	Cas. 848, Mil. 989.
bellus (p. 46)	Aul. 285, Asin. 674, 676, 931, Capt. 956, Curc. 8, 521, Cas. 108, Bacch. 345, 724/5, 1172, Men. 626, Poen. 272, 1335, 1384, Rud. 426, Truc. 272, 923, 930, 934*.
blandiloquentulus	Trin. 239.
breviculus	Merc. 639.
buccula	Truc. 290.

C.

caltula (p. 19)	Epid. 231.
canicula	Curc. 598.
capillus (p. 13)	Epid. 623, Most. 244, 245, Men. 870, Merc. 798, Rud. 377, 784.
capitulum	Asin. 496, Curc. 293.
carbunculus	Most. 974.

catellus	Asin. 693, Curc. 691, Stich. 620.
catillo	Cas. 552.
catulinus	Syr. fragm. I.
catulus	Asin. 184, Epid. 579, Truc. 268, Inc. fab. fragm. LIV.
cavilla (p. 13)	Aul. 638.
cavillatio	Stich. 226.
cavillator	Mil. 642, Truc. 685.
celocula	Mil. 1006*.
cincticulus	Bacch. 432.
cistella	Cist. III, 1, 7; IV, 1, 3; 6; IV, 2, 7; 15; 27; 38; 44; 47; 66; 68; 73; 77; 102; 105; 106; Rud. 1109, 1130, 1133, 1143, 1362. Inc. fab. fragm. LXXII.
cistellatrix	Trin. 253.
cistellula (p. 20)	Amph. 773. Rud. 39, 1078.
cistula	Amph. 420, 783, 792, Cist. IV, 1, 5. Rud. 389, 1082, 1085, 1088, 1119.
clanculum	Amph. 523, 795, 797, Asin. 881, Bacch. 317, 375, Curc. 22, Cas. 444, Cist. I, 1, 92, Most. 683, 1031, Men. 478, 531, 560, 605, Mil. 130, 823, 934, 985, Poen. 913, Rud. 57, 302, 356^{b}, 1189, Trin. 798, 804, Truc. 408, 670.
clitellae	Most. 765.
clitellarius	Most. 767, 768.
Collabiscus	Poen. 170, 194.
commodule	Rud. 468.
commodulum	Mil. 750.
commodulus	Stich. 690.
complusculi	Rud. 131.
concipulo	Truc. 621.
condalium	Trin. 1014, 1020.
congratulor (p. 13)	Men. 129.
conspicillum	Cist. I, 1, 92, Paras. med. fragm. I.
corbula	Aul. 366.

corculum	Cas. 361, 837, Most. 974.
corolla	Bacch. 70, Pseud. 1265, 1299.
corpusculum	Cas. 843.
crepidula	Pers. 464.
crepusculum	Cas. 40, Cond. fragm. I, Paras. pig. fragm. I.
crocotula	Epid. 231.
crotillis vide todillis.	
crumilla	Pers. 687.
crusculum	Syr. fragm.
crustulum	Stich. 691.
culcitella	Most. 882.
curculiunculus	Rud. 1325.

D.

damnigerulus	Truc. 551.
dicaculus	Asin. 517.
diecula	Pseud. 503.
digitulus	Epid. 640 *, Bacch. 675, Poen. 566, Rud. 720.
dulciculus	Poen. 390.

E.

ebriolus	Curc. 192, 294.
ecula	Poen. 1168*.
edentulus	Cas. 550, Most. 265, Men. 824 *, Poen. 700.
ensicula	Rud. 1169*.
ensiculus	Rud. 1157, 1160.
exambulo	Epid. 165.
expostulo	Most. 506, Mil. 515 *, 697.
exstillo	Pseud. 818.

F.

fabula	Stich. 690.
facula	Pers. 515.
feniculum	Pseud. 814.

fenusculum	Pseud. 287.
ficula	Stich. 690.
filiola	Cist. II, 3, 29; IV, 1, 13; Rud. 39, 106.
filiolus	Capt. 876, Truc. 640 *, 805*.
flabellifera	Trin. 252.
formidulosus	Amph. 1117, Pseud. 824.
formula	Pers. 229.
fraterculo	Frivol. fragm. VIII.
frustillatim	Curc. 576.
furcillo	Pseud. 631.

G.

gerulifigulus	Bacch. 381.
gerulus	Bacch. 1003.
gratulor	Capt. 502, 504.
gravastellus (p. 37)	Epid. 620.
guttula	Epid. 554.

H.

haedillus	Asin. 667.
hamulus	Stich. 289.
hariola	Mil. 693, Rud. 1139, 1140.
hariolor	Asin. 316, 597, 924, Cist. IV, 2, 81; Mil. 1256, Rud. 347, 377, 1141.
hariolus	Amph. 1132, Cas. 356, Most. 556, Men. 76, Poen. 791, Rud. 326, Truc. 602.
homunculus	Capt. 51, Rud. 155, Trin. 491.
horiola	Trin. 942.
horridulus	Pseud. 68.

I.

inambulo	Asin. 682.
intibulum (-us)	Stich. 691 *.
involvolus	Cist. IV, 2, 64.

ioculus	Most. 912, Merc. 993, Rud. 729, Stich. 23, Truc. 103*, 107.
iugulae	Amph. 275.
iugulo	Stich. 581.
iugulum	Merc. 613.

L.

labellum (p. 25.)	Asin. 668 (bis), 797, Mil. 1335, Pseud. 67*,
[redacted]	1259, Poen. 366, 383, 385, 388.
laterculus	Poen. 325.
lectulus	Pers. 759, Truc. 54*.
lemniscus	Pseud. 1265.
lenullus	Poen. 471.
lenunculus	Poen. 1286.
libella	Capt. 947, Cas. 316, Pseud. 98, 629, 1146.
libellus	Pseud. 706.
ligula	Poen. 1014, 1309.
limbolarius	Aul. 519.
limulus	Bacch. 1130.
lingulaca	Cas. 497, 498.
linteolum	Epid. 230.
liquidiusculus	Mil. 665*.
loculus	Cas. 447, Men. 691*, Mil. 853, Stich. 620.
loliguncula	Cas. 493.
longule	Men. 64, Rud. 266.
lunula	Epid. 640.
lupillus	Stich. 691.
lusciniola	Bacch. 38.
Lyciscus	Inc. fab. fragm. XLVIII.

M.

maiusculus	Poen. 155.
mamilla	Pseud. 180.
mammicula	Pseud. 1261*.
manicula	Rud. 1169.

masculus (p. 38.)	Cist. IV, 2, 40 [41].
medulla	Stich. 340, 341.
medullitus	Most. 234, Truc. 439.
melculum	Curc. 11*, Cas. 837.
meliusculus	Capt. 959, 968, Curc. 489.
melliculus	Cas. 843.
mellilla	Cas. 135, Pseud. 180.
mendiculus	Epid. 223.
mensula	Most. 296.
meretricula	Rud. 63, Truc. 309.
meticulosus (p. 14.)	Amph. 293, Most. 1087.
Milphidiscus	Poen. 421.
minusculus	Poen. 498, Trin. 888.
minutulus	Poen. 28.
misellus	Rud. 550.
missiculo	Epid. 132.
molliculus	Cas. 492 (bis), Poen. 367.
molluscus	Calc. fragm.
morsiuncula	Pseud. 67*.
muliercula (p. 41.)	Cist. I, 2, 12, Epid. 620, Pseud. 675, Rud. 52, 128, 162, 320, 482, 553, 559, 892, 896, 1405.
mundulus	Truc. 658*.
munerigerulus	Pseud. 181.
munusculum	Truc. 425*.
murmurillo	Inc. fab. fragm. XLVII.
murmurillum	Rud. 1404.
musculus	Rud. 298.

N.

nepotulus	Mil. 1413, 1421.
nitidiuscule	Pseud. 774.
nitidiusculus	Pseud. 220.
nugigerulus	Aul. 525.
nullus	

O.

obambulo •	Capt. 491, Men. 276, Poen. 19, Trin. 315.
occasiuncula	Trin. 974.
occillo •	Amph. 183.
ocellus (p. 27.)	Asin. 664, 691, Cas. 136, Most. 159, 312, Poen. 366, 694*, Rud. 422, Trin. 245, Truc. 579.
Olympiscus	Cas. 739.
oppressiuncula	Pseud. 68.
osculor • (p. 15.)	Asin. 669, 687, 892, 897, Curc. 52, Cas. 133, 471, Epid. 583, Bacch. 141, 478, 897, Mil. 176, 199, 243, 245, 264, 275, 288, 320, 338, 366, 390, 391, 401, 461, 474, 507, 534, 555, 1433, Merc. 571, 575, 745, Rud. 1205.
osculum	Amph. 716, 800, 801, Asin. 223, Epid. 571, 573, 574, Stich. 89, 91 (bis), Nervol. fragm. IX (bis).

P.

palliolatim	Pseud. 1275.
palliolum	Cas. 246, 934, Epid. 194, Mil. 1179.
pallula	Truc. 52, 271, 536.
pandiculor •	Men. 834.
paniculus	Mil. 18*.
papilla	Asin. 224, Cas. 848, Bacch. 480, Pseud. 68, Rud. 424, Frivol. fragm. VIII.
parvolus	Capt. 982, 1013 (bis), Curc. 528, Cist. I, 2, 8, II, 3, 10, Merc. 90, Pseud. 783, Poen. 896, 1101, 1105, 1346, Rud. 39, Stich. 161.
passerculus	
patellarius	Cist. II, 1, 55.
pauculus	Epid. 460, Merc. 389, Truc. 643.
paululum	Asin. 925, Aul. 711.
paululus	Curc. 123, Bacch. 865, Poen. 802.
pauperculus	Aul. 171, Epid. 540, 555, Poen. 536, Pers. 345.
pauxillatim	Epid. 248, Rud. 929.
pauxillisper	Truc. 913.

pauxillulum	Bacch. 833, Rud. 729.
pauxillulus	Merc. 193, Pseud. 706, Poen. 538, Rud. 797, Stich. 163, 292, Truc. 940.
pauxillum	Curc. 136, Men. 681*, Truc. 686.
pauxillus	Aul. 112, Capt. 176, Most. 851, Poen. 566, Stich. 175.
peditastellus	Mil. 54.
peniculus	Rud. 1008*.
perambulo	Most. 796.
perieratiuncula	Stich. 227.
perpauxillus	Capt. 177.
persolla	Curc. 192.
perula	Truc. 535*.
Phidyllium	Corn. fragm. V.
pinnula	Amph. 143.
pistillus (-um)	Aul. 95.
Pithecium	Truc. 477*.
pithecium	Mil. 989*.
placidule	Rud. 426*.
plagigerulus	Most. 861, Pseud. 153.
plusculus	Amph. 283, Pers. 21.
Polybadiscus	Astr. fragm. I.
porcella	Mil. 1060*.
porculus	Men. 314, Rud. 1170.
portisculus	Asin. 516.
posticulum	Trin. 194, 1085.
postulatio	Cas. 556, Bacch. 449.
postulo (p. 16.)	Amph. 361, 789, 891, fragm. IV, Asin. 189*, 507, Aul. 318, 361, 362, 589, 757, Capt. 186, 339, 717, 739, 938, 941, Cas. 96, 127, 141, 193, 311, 963; Cist. IV, 2, 100, Epid. 441, Bacch. 442, Most. 249, 531, 598, 995, 997, 1010, Men. 443, 767, 794, 796 (bis) 1075, 1080, Mil. 302, 437, 1205, Pseud. 101, 378, 439, 851, 853, Poen. 399, 544, 756, 776, 809, 1082, 1371, Pers. 41, Rud. 17, 394, 543, 709,

	941b, 973, 990, 1012, 1102, 1120, 1150, 1296, 1329, 1385, Stich. 423, 559, 724, Trin. 97, 237, 441 (bis), 696, 972, 1020, Truc. 1, 14, 142, 374, 730, 862, 863, 928, Vidul. fragm. IV, 194.
primulum (p. 22.)	Men. 916, 1116, Mil. 1004, Frivol. fragm. VIII.
primulus	Amph. 737, Cas. 40, Paras. pig. fragm. I.
puella	Curc. 528, Cas. 48, Cist. I, 2, 9; 16; 20; 21; I, 3, 3; 18; 19; 21; 23; II, 3, 11; 77; Poen. 1094, 1301, Pers. 592, Rud. 45, 59, 1148, 1153, Truc. 404.
puellula	Cas. 41*.
puellus	Gem. Len. fragm.
pullarius	Inc. fab. fragm. XXV.
pullus (p. 21.)	Asin. 209, Capt. 849, Curc. 450, Cas. 138, Poen. 356, 1293, Rud. 567.
pulvisculus	Rud. 845, Truc. 19, 557.
pusillus	Truc. 868.
putillus	Asin. 694.

Q.

quadrimulus	Capt. 981, Poen. 85.
quantillus	Capt. 193, Curc. 103, Bacch. 705, Most. 612, Pseud. 1192, Poen. 1167, Truc. 637.

R.

rallus	Epid. 230.
ratiuncula	Capt. 192, Curc. 371.
redambulo	Capt. 900.
regillus	Epid. 223.
rufulus	Asin. 400.
rullus	Most. 40*, Pers. 169*.

S.

saepiuscule	Cas. 703.
salutigerulus	Aul. 502.

Samiolus	Stich. 694.
sandaligerula	Trin. 252.
scaphium	Bacch. 70, Pers. 124.
scintilla	Trin. 678.
scintillo	Men. 829.
scitulus	Rud. 565, 894.
scrutillus	Inc. fab. fragm. XXIX.
scutigerulus	Cas. 262.
scutula	Mil. 1178.
securicula	Rud. 1158, 1159, 1163.
sepiola	Cas. 493, Capt. 850*.
servola	Poen. 1094.
servolicola	Poen. 267*.
servolus	Amph. 987, Capt. 880, Cist. I, 3, 34, Men. 339, Merc. 108, 171, Poen. 270, Stich. 446.
singillatim	Trin. 881.
sitella	Cas. 296, 342, 351, 363, 396.
situla	Amph. 671, Cas. 359, Truc. 832*.
somniculose	Amph. 622, Capt. 227.
sordidulus	Poen. 270.
specula	Cas. 306, Pers. 310.
spinturnicium	Mil. 989.
sportula	Curc. 289, Men. 219, Stich. 289.
staticulus	Pers. 824.
stella	Men. 175, Poen. 434.
Stephaniscidium	Stich. 740.
stimulatrix	Most. 194, 210.
stimulor	Cist. II, 1, 4.
stimulus	Asin. 418, 549, Aul. 45, 48, Curc. 128, Cas. 360, 447, Bacch. 1159, Most. 57, Men. 865, 951, Pseud. 1240, Pers. 795, Truc. 768, 853.
stipulor	Curc. 473, Pseud. 1069, 1076.
sucula	Rud. 1170 (bis).
suilla	Men. 210.
suillus	Inc. fab. fragm. XXIX.
surpiculus	Capt. 815.

T.

tabella	Curc. 347, 365, 369, 422, 432, 545 (bis), 551, Epid. 251, Bacch. 715, 728, 753, 769, 787, 808, 811, 924, 935, 936, 960, 984, Mil. 38, 73, 130, Pseud. 10, 20, 28, 31, 36, 40, Pers. 247, 460, 497, 511, 518, 520, 544.
tantillum	Cas. 825, Stich. 620.
tantillus	Most. 381, Poen. 273, Rud. 1150, Trin. 64, Truc. 537, 609, 765*.
tantulus	Bacch. 209.
tegillum	Rud. 576.
tenellus	Cas. 108.
tigillum	Aul. 301.
tippula	Pers. 241, Inc. fab. fragm. XLVIII.
todillis (vel crotillis)	Syr. fragm.
torulus	Amph. 144.
tranquillitas	Merc. 878, Poen. 753.
tranquillo	Capt. 106.
tranquillus	Amph. 478, 958, Capt. 865, Cas. 26, Cist. I, 1, 15; 111; III, 1, 21, Epid. 440, 562, 643, Bacch. 765, 1174. Most. 399, 402, Merc. 890, 891, Poen. 355, 507, 1236, Stich. 286, 529, Truc. 776.
tunicula	Rud. 549.
turbella	Bacch. 1057, Pseud. 110.
tusculum	Aul. 385.

U.

ullus	
unctiusculus	Pseud. 221.
unguiculus	Stich. 761.
ungula	Asin. 340, Aul. 467, Men. 866, Pseud. 643, 852, 854.
ungulus	Epid. 623.

uxorcula	Cas. 844, 917.
uxorculo•	Sitell. fragm. I.

V.

valentulus	Cas. 852.
vasculum	Aul. 270, Rud. 134.
ventulus	Curc. 316.
venustulus	Asin. 223.
verculum	Cas. 837.
vesculus•	Trin. 888*.
vetulus	Asin. 340, Cas. 535, Epid. 187, 666, Bacch. 1129, Most. 265, Men. 864*, Merc. 525, Pers. 266.
vinnulus (p. 17)	Asin. 223.
vitellus	Asin. 667.
volsella	Curc. 577.
vorsicapillus•	Pers. 230.

B. Index

omnium quibus usus est Terentius deminutivorum.

adulescentula	Andr. 118; Heaut. 602, 654.
adulescentulus	Andr. 55, 828, 910; Eun. 423, 539, 686, 931, 940, 943, 949, 1021; Heaut. 51, 93, 100, 113, 477, 546, 1045; Phorm. 6, 281; Hec. 619; Ad. 101, 112.
aediculae	Phorm. 663.
agellus•	Ad. 949.
aliquantulum	Heaut. 163; Phorm. 655.
ambulo	Hec. 435, 815; Ad. 713.
ancilla	Andr. 461, 514, 838; Eun. 347, 581; Heaut.

	130, 142, 245, 246, 252, 301, 451, 893; Phorm. 511; Hec. 367, 773.
ancillula	Eun. 166; Heaut. 252, 293; Phorm. 665, 838.
anicula	Andr. 231; Phorm. 98.
anulus	Eun. 541; Heaut. 614, 650, 653; Hec. 574, 811, 821, 824, 825, 829, 846; Ad. 347.
articulus	Ad. 229.
bellissumus	Ad. 590.
capillus	Eun. 646, 860; Heaut. 290; Phorm. 106.
capitulum	Eun. 531.
cellula	Eun. 310.
cistella	Eun. 753.
clanculum	Eun. 310, 411, 589, 602; Heaut. 472; Phorm. 873, Ad. 52.
complusculi	Hec. 177.
deambulatio	Heaut. 806.
diecula	Andr. 710.
digitulus	Eun. 284.
expostulo	Andr. 639; Ad. 595.
exstillo	Phorm. 975.
flabellulum	Eun. 598*.
flabellum	Eun. 595, 602.
formidulosus	Eun. 756, 757.
grandiculus	Andr. 814.
gratulor	Eun. 259.
iocularis	Phorm. 134.
iocularius	Andr. 782.
iugulo	Eun. 417; Ad. 958.
lacrimula	Eun. 67.
lectulus	Eun. 593; Ad. 285, 585.
longule	Heaut. 239.
maiusculus	Eun. 527.
meliusculus	Hec. 354.
muliercula	Heaut. 444; Phorm. 1017.
parvolus	Andr. 35; Eun. 108, 155, 524, 892; Ad. 48, 274, 494.

pauculi	Heaut. 828; Hec. 143.
paululum	Eun. 281, 706 (bis), 890; Heaut. 899; Ad. 217.
paululus	Andr. 360, 622; Eun. 75; Heaut. 316; Phorm. 702, Ad. 779.
pauperculus	Heaut. 96; Ad. 647.
pauxillulus	Phorm. 37.
peniculus	Eun. 777.
Philotium	Hec. 81, 89, 197.
pisciculus	Andr. 369.
pistrilla	Ad. 584.
plusculus	Phorm. 665.
postulatio	Hec. 180.
postulo	Andr. 189, 190, 331, 422, 550, 551, 644, 657, 823, 901; Eun. 61, 480, 1058; Heaut. 671, 871, 1011, 1012; Phorm. 411, 642; Hec. 564; Ad. 200, 201, 238, 879.
primulum	Ad. 289, 898.
prodeambulo	Ad. 766.
puella	Eun. 109, 582; Heaut. 627, 651; Hec. 231.
puellula	Phorm. 81.
ratiuncula	Phorm. 36.
sacellum	Ad. 576.
sandalium	Eun. 1028.
scrupulus	Andr. 940; Phorm. 954, 1019; Ad. 228.
servolus	Andr. 83; Heaut. 191, 471, 530; Ad. 27, 566.
stimulo	Heaut. 223.
stimulus	Phorm. 78.
stipula	Ad. 848.
Syriscus	Eun. 772, 775; Ad. 763.
tantillus	Ad. 563.
tardiusculus	Heaut. 515.
tremulus	Eun. 336.
ventulus	Eun. 595.
villum	Ad. 786.

Addenda.

Magna huius commentationis pars prelo iam mandata erat, cum Cistellariae fabulae fragmentorumque nova editio a Schoellio et Goetzio curata in manus meas pervenit. Operae pretium mihi videtur omnia, quae in hac nova editione exstant, deminutiva enumerare; ea, quae huc usque in Cistellaria vel in fragmentis non legebantur, litteris cursivis distinxi:

in Cistellaria:

adulescentulus	158.
aetatula	49.
* *amicula*	406.
aquola	580.
bellissumus	373[b].
cistella	637, 655, 658, 675, 684, 696, 703, 709, 712, 733, 738, 742, 767, 770, 771.
* *cistellula*	731.
cistula	657.
clanculum	91.
* conspicillum	91.
equola	308.
exornatulus	306.
* *febriculosus*	406.
filiola	571, 665.
fraterculus	451, 452.
involvolus	729.
issulus	450
Lampadiscus	544.
masculus	705.